LOPEZ
ACA

Wojewódzka i Miejska
Biblioteka Publiczna w Rzeszowie
A-33697
001-0040259--00

PHARMACOPOEA

J. Pribiniewij

AUSTRIACA.

EDITIO SEXTA.

N. I. 2155.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

SPRZEDANO

ZARZĄD

18 VII 1910.

VIENNÆ.
CÆS. REG. AULÆ ET IMPERII TYPOGRAPHIA.

1869.

Erlass des Ministers des Innern

vom 15. Mai 1869, Z. 7175,

betreffend

die neue Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe.

---

1. Vom 1. Oktober 1869 an haben die Sanitätsbeamten, praktischen Ärzte, Wundärzte und Thierärzte, dann die Apotheker sich nach der unter dem Titel: „Pharmacopoea austriaca. Editio sexta. Caes. Reg. Aulae et Imperii Typographia 1869“ erschienenen neuen Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe zu benehmen.
2. Jede Apotheke hat mit einem Exemplare derselben versehen zu sein.
3. Diese Anordnung ist von den politischen Behörden in geeigneter Weise noch besonders zur Kenntniss des ärztlichen Personales und der Apotheker zu bringen.

Dr. C. Giskra m. p.

615.1(436)
A-33697
40259

Praefatio.

Quum Pharmacopoeae Austriacae editio quinta, anno 1855 publicata, eo scopo, ut progressibus scientiarum naturalium artisque medicae et pharmaceuticae accommodetur, revisioni subjecta votaque hanc revisionem spectantia tam medicorum, quam pharmacopolarum ex singulis provinciis collecta fuissent, tot et tanta sese offerebant desideria, ut simplicis revisionis loco nova editio necessaria habita fuerit.

Huic sequentia subsunt principia:

1. Nomenclatura in genere stricte scientifica et nonnisi opportunitatis gratia hinc inde trivialis ordine alphabetico articulos enumerat et synonyma nomini principali immediatim adjuncta offert.

Partes usuales cujusvis plantae medicinalis sub denominatione botanica et syno-

nyma triviali ibi enumerantur, ubi de planta sermo est.

Index cuncta nomina tum principalia, quum synonyma continet et discriminis gratia **principalia** crassioribus literis impressa exhibet.

2. In selectione articulorum in novam pharmacopoeae editionem suscipiendorum rationes scientificae (chemicae et pharmacologicae) et experientia clinica praevalebant, quo respectu numerus articulorum editionis quintae hic addendo auctus, illic omittendo restrictus est.

Usus tamen tum medicorum, tum populi hucdum inveteratus et nonnisi seriori tempore cessaturus aliquot medicamina retineri jussit, quae partim, quia incertae aut incorrectae chemicae compositionis sunt (ut e. g. decoctum Zittmanni), partim, quia clinici valoris plane nihil offerunt (uti e. g. syrupus althaeae), ritius omittenda fuissent.

3. Praeparatorum, quae optimae indolis et minoris pretii ubique locorum in mercaturis emi possunt, formulae non receptae sunt.

Maximi tamen momenti esse videbatur, cujusvis mercis tam chemicae, quam pharmaceuticae et pharmacognosticae characteres notare

et reagentia aut methodos indicare, quibus tum genuina ejus indoles, quum inquinationes detegantur.

4. Omnia acida diluta, quae in pharmacopoeam recepta sunt, quoad concentrationis gradum ita congruunt, ut quaepiam cujusvis acidi diluti quantitas neutram reddat eandem quantitatem certi cujusdam corporis alcalini.

Pondus proportionale non, ubi de praeparato agitur, sed in adnexa propria tabula (aequivalentium) continetur.

5. Ubicunque temperaturae gradus notati occurrunt, quin scala thermometrica nominata sit, gradus thermometri Celsiani subintelligendi sunt.

6. Pondus medicinale hujus editionis ab illo priorum differt, quatenus gramma gallicum ponderi medicinali austriaco hucdum usitato substitutum est.

Tabula, quae pondera comparat et numerosas tum novae, tum veteris ponderandi methodi combinationes commutatas offert, transitorio annorum proximorum usui valde necessaria habita et adnexa est.

7. Usus grammatis in formulis praeparandi jam per se partes relativas constituentium notas reddit, dum ponderis absoluti quantitates indicat.

8. Pharmacopoeae aliarum gentium, ubi fas erat, et praecipue hoc intuitu respectae sunt, ut et pharmacopoea austriaca easdem mixtionis relationes in tincturis etc. exhibeat, quae in plurimis aliis inveniri solent. Notari tamen debet, etiam peregrinas hoc respectu valde differre et accomodationem universalem hucusque plane impossibilem esse.

Regulae et notae generales.

§. 1.

Guberniorum singularum provinciarum est, medicamina per elenchos discernere in obligata, quae in omni pharmacopolio provinciae praesto esse debent, et non obligata, quae pharmacopola praesto habere lege quidem non tenetur, ast, si prostant, nonnisi ad normam Pharmacopoeae praeparata dispensare adstrictus est.

§. 2.

Medicamina, quae a pharmacopola non dispensanda sunt, nisi a medico legitimo praescripta fuerint, signo † notata sunt.

§. 3.

Praeparata, quorum formula praeparandi notata est, nonnisi secundum hanc formulam praeparare licet.

§. 4.

Quaecunque medicamina, licet in pharmacopoea non recepta sint, tamen a medicis passim praescribi et ex hac causa in pharmacopoliis praesto esse solent,

nec inquinata nec corrupta, sed optimae indolis sint oportet.

§. 5.

Si medicus majorem dosim medicaminis cujusdam in tabula s. d. dosium maximarum notati praescribere intendit, quam quae ibi qua maxima notata invenitur, praescriptioni signum ! addat.

§. 6.

Quodsi a medico medicamentum, cujus plures in pharmacopoea citantur concentrationis aut fortitudinis gradus, praescriptum fuerit, quin concentrationis gradus speciatim declaratus conspiciatur, diluta et mitior species semper dispensanda est.

Ita quoque, si medicamentum, quod et crudum et depuratum seu rectificatum in pharmacopoea prostat, pro usu interno sine distinctione praescriptum fuerit, depuratum seu rectificatum semper dispensetur.

§. 7.

Reagentia in tabula speciali enumerata in quovis pharmacopolio omni tempore praesto esse debent.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

Absinthium.

Artemisia Absinthium Linn., herba indigena. Compositae.

Herba brevi ante florum anthesin colligenda et siccanda. Sistit folia tomento tenui, inprimis subtus incana, alia radicalia triplicato-pinnatifida, alia caulina bipinnatifida vel pinnatifida; odoris gravis aromatici, saporis acris aromatici, amarissimi. Colligenda herba spontanea, alioquin apud nos non rara.

Emplastrum de Meliloto. Species amaricantes. Tinctura Absinthii composita. Unguentum aromaticum.

Acetum.

Acetum crudum. Acetum e Spiritu Vini.

E spiritu vini aqua diluto paratum, sit limpidum, decolor vel parum flavescens, a substantiis acribus, metallis et acidis alienis liberum, ejusque aciditatis, ut grammata decem aceti perfecte neutra reddantur grammatibus decem solutionis acidimetricae.

Continet in 100 partibus partes circiter 6 acidi acetici.

Acetum aromaticum. Acetum Scillae. Oxymel simplex.

Acetum aromaticum.

Acetum antisepticum. Acetum prophylacticum seu cardiacum. Acetum quatuor latronum.

Rpe:	**Foliorum Menthae piperitae**		
	„ **Rosmarini**		
	„ **Salviae**	*āā grammata viginti quinque,*	25
	Radicis Angelicae		
	Rhizomatis Zedoariae		
	Caryophyllorum	*āā grammata quinque,*	5
	Aceti	*grammata mille.*	1000

Macera per triduum in vase vitreo bene clauso.

Sit limpidum, servetur in vasis vitreis bene obturatis.

Acetum pyrolignosum rectificatum.

Acidum pyrolignosum. Acidum pyroxylicum. Acidum Ligni empyreumaticum.

Liquor acidus e lignis imprimis durioribus per destillationem siccam obtentus rectificetur ex retorta vitrea leni adhibito igne, donec tres quadrantes elicitae fuerint.

Sit coloris subflavi, odoris empyreumatici et producta destillationis siccae volatiliora contineat.

Acetum Scillae.

Acetum scilliticum.

Rpe: **Bulbi Scillae siccati minutim conscissi**
grammata quinquaginta, 50
Aceti *grammata quingenta.* 500

Macera per triduum saepius agitando, post lenem expressionem cola et filtratum serva.

Oxymel Scillae.

Acidum aceticum concentratum.

Acetum radicale.

Liquor limpidus, decolor, inflammabilis, odoris fragrantissime acidi.

Acidum aceticum concentratum calore penitus avolet, cum quintupla quantitate aquae destillatae dilutum nec cum solutionibus baryi chlorati vel argenti nitrici vel ammonii hydro-sulfurati praecipitatum producat, nec mixtum cum aliquot guttis liquoris kalii bichromici viridem colorem induat.

Gramma unum acidi acetici grammata minimum sedecim solutionis acidimetricae neutra reddat.

Contineat in 100 partibus minimum 96 partes acidi.

Acidum aceticum dilutum.

Liquor limpidus sit ponderis specifici 1·028, coloris expers, odoris minime empyreumatici, calore penitus avolet.

Cum solutione baryi chlorati vel argenti nitrici tentatus praecipitatum nullum demittat; ammonio

hydro-sulfurato addito colorem ne mutet, mixtus cum nonnullis guttis liquoris kalii bichromici viridem colorem ne induat.

Grammata decem acidi acetici diluti neutra reddantur grammatibus triginta quatuor solutionis acidimetricae.

Continet in 100 partibus partes 20·4 acidi acetici.

† Acidum arsenicosum.

Arsenicum album. Oxydum Arsenici album.

Requiratur in massis extus albis, opacis, intus flavescentibus, vitreis, plus minusve pellucidis.

Sub calore fortiore sit ex integro volatile fumum album emittens.

Prunis candentibus injectum odorem alliaceum spargit.

† *Solutio arsenicalis Fowleri.*

Acidum carbolicum.

Acidum phenylicum. Phenolum.

Sistit crystallos aciculares, decolores, tempore fuscescentes, quae humiditate attracta deliquescunt, versus temperaturam 33° liquescunt, sub 187° ebulliunt, in 20 partibus aquae, in omni proportione spiritus vini aut aetheris, nec non in glycerino, in oleis fixis et volatilibus solvuntur.

Pondus specif. = 1·065 circiter.

Solutioni aquosae ferri sesquichlorati colorem caeruleum tribuit.

Acidum chromicum.

Crystalli prismaticae coloris purpurei, aëri humido expositae diffluunt, calefactae liquescunt, demum oxygenium emittentes in oxydum chromicum viride mutantur. In aqua facillime solvuntur, aetherem vel spiritum vini 90% comburunt. In vase epistomeo vitreo clauso caute serventur.

Acidum citricum.

Acidum Citri.

Crystalli prismaticae, decolores, in aëre immutabiles, sub temperatura leni fatiscunt, altiori liquescunt, demum decomponuntur. Solvuntur in aequali parte aquae nec non in alcohole et in aethere.

Solutio aquosa aqua calcis supersaturata et ad ebullitionem calefacta praecipitatum deponit, quod sub refrigeratione ex integro solvitur.

In aqua solutum nec addito baryo chlorato, nec ammonio oxalico, nec aqua hydro-sulfurata praecipitatum deponat, ignitum plane avolet, quin vapores caramel redoleant.

Potio Magnesiae citricae effervescens.

Acidum hydro-chloricum concentratum purum.

Acidum hydro-chloratum concentratum. Acidum muriaticum concentratum purum.

Rpe: **Acidi hydro-chlorici crudi** *q. v.,*

misce cum tertia ponderis parte aquae communis et immitte in retortam, quam obturamento perforato e gummi elastico confecto claudas et mediante tubo vitreo modice curvato jungas cum apparatu refrigeratorio Liebigiano ita, ut retortae collum sursum petat et longior tubi vitrei extremitas in cavum retortae fere immineat, brevior vero longitudine unius alteriusve pollicis in apparatum refrigerantem prospiciat.

Leni calore fiat destillatio in excipulum optime refrigeratum ad remanentiam circiter partis sextae.

Liquor obtentus, si opus fuerit, admixta aqua destillata redigatur ad pondus spec. 1·12.

Liquor sit limpidus, decolor; calefactus evaporet, quin residuum derelinquat; cum decem partibus aquae destillatae dilutus nec per solutionem baryi chlorati, nec per aquam hydro-sulfuratam nec, si huic ammoniam superaddideris, turbetur neque colorem mutet.

Grammata quinque acidi hydro-chlorici concentrati puri neutra reddantur grammatibus triginta tribus et duabus decimis grammatis partibus (33·2) solutionis acidimetricae.

Continet in 100 partibus partes 24·24 gasis hydrochlorici.

Acidum hydro-chloricum crudum.

Acidum muriaticum. Acidum Salis fumans. Spiritus Salis fumans.

Sit ponderis spec. 1·16. Rejiciatur, si acidum arsenicosum continet.

Acidum hydro-chloricum dilutum purum.

Acidum hydro-chloratum dilutum. Acidum muriaticum dilutum. Spiritus Salis acidus.

Rpe: **Acidi hydro-chlorici concentrati puri**
Aquae destillatae *āā partes aequales.*

Misce. Sit ponderis spec. 1·06.

Grammata ejus decem neutra reddantur grammatibus triginta quator solutionis acidimetricae.

Continet in 100 partibus partes 12·4 gasis hydrochlorici.

Acidum nitricum concentratum purum.

Rpe: **Acidi nitrici crudi** *grammatum duo millia,* 2000
immitte in retortam, cui insunt
Kalii nitrici *grammata quinquaginta.* 50

Fiat leni calore destillatio in excipulum bene refrigeratum, donec destillatio cesset.

Liquorem primo prodeuntem, quamdiu solutione argenti nitrici turbatur, rejice, subsequentem collige et aqua destillata ad pondus spec. 1·30 sub temperatura + 15° dilue. Servetur in vase epistomeo vitreo clauso.

Sit liquor decolor, ex toto volatilis; cum 20 partibus aquae destillatae mixtus nec per solutionem baryi chlorati, nec argenti nitrici turbetur.

Grammata ejus tria neutra reddantur grammatibus viginti duobus et octo decimis grammatis partibus (22·8) solutionis acidimetricae.

Continet in 100 partibus partes 48 acidi.

Acidum nitricum crudum.

Sit ponderis spec. 1·35.

Acidum nitricum dilutum purum.

Aqua fortis.

Rpe: **Acidi nitrici concentrati puri** *grammata ducenta,* 200
Aquae destillatae *grammata ducenta et quadraginta.* 240

Misce. Sit ponderis spec. 1·13.

Grammata ejus decem neutra reddantur grammatibus triginta quatuor solutionis acidimetricae.

Continet in 100 partibus partes 21·42 acidi.

Acidum phosphoricum.

Rpe: **Phosphori** *grammata viginti.* 20

Immitte retortae satis amplae, cui insunt

Acidi nitrici diluti puri *grammata trecenta quinquaginta.* 350

Retorta balneo aquae immissa et excipulo exiguam aquae destillatae quantitatem continenti leviter juncta sensim calefiat, donec phosphorus ex toto sit solutus et rutili vapores non amplius evolvantur. Liquorem dein in patinam porcellaneam effunde, aquam acidam excipuli adde et calefac, donec portiuncula exemta solutioni ferri sulfurici addito acido sulfurico concentrato mixtae colorem rutilo-fuscum non amplius tribuit.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

Liquor residuus tripla aquae destillatae quantitate dilutus saturetur per gas hydro-sulfuratum, dein stet per aliquot dies vase tecto in loco calido ad perfectam, si praesto esset, sulfureti arsenici praecipitationem.

Demum calefiat ad gasis hydro-sulfurati perfectam expulsionem, filtretur et diluatur ad pondus spec. 1·117.

Sit liquor limpidus, decolor, odoris expers; superaddita ammonia nullum praecipitatum deponat. Argentum nitricum nec album nec addita ammonia sub ebullitione fuscum sedimentum producat; nec baryo chlorato, nec aqua hydro-sulfurata turbetur.

Grammata ejus decem sufficiunt cum grammatibus triginta quatuor solutionis acidimetricae pro formando natrio phosphorico sic dicto officinarum.

Continet in 100 partibus partes 16·6 acidi orthophosphorici.

Acidum sulfuricum anglicanum.

Acidum sulfuricum crudum. Oleum Vitrioli.

Sit ponderis spec. 1·83, ab arsenico liberum.

Acidum sulfuricum concentratum purum.

Oleum Vitrioli depuratum.

Sit decolor, ponderis spec. 1·845, calefactum ex toto volatile. Crystallus ferri sulfurici injecta ne rubrofusco tingatur colore. Acidum aquae hydro-sulfuratae instillatum nullum praecipitatum producat.

Liquor acidus Halleri.

Acidum sulfuricum dilutum purum.

Spiritus Vitrioli.

Rpe: **Acidi sulfurici concentrati puri**
grammata centum, 100
Aquae destillatae *grammata quingenta.* 500

Misce acidum in aquam instillando.

Sit ponderis spec. 1·117.

Grammata ejus decem neutra reddantur grammatibus triginta quatuor solutionis acidimetricae.

Continet in 100 partibus 16·6 partes acidi.

Acidum tannicum.

Tanninum.

Rpe: **Gallarum subtiliter pulveratarum**
grammata ducenta, 200
Aetheris *grammata trecenta,* 300
Spiritus Vini 90% *grammata septuaginta quinque.* 75

Gallis antea per 24 horas loco humido expositis et dein in vas bene claudendum immissis infunde aetherem cum spiritu vini mixtum. Stent saepius quassatae per biduum, tum defunde liquorem. Residuo novam portionem ejusdem miscellae adde, post 12 horas fluidum supernatans collige, residuum exprime. Liquoribus filtratis et commixtis tertiam voluminis partem aquae destillatae conquassando immisce, dein sepone. Solutionem aquosam, postquam ab aetherea subsederit, separa et cum aetherea eandem operationem bis repete.

Quo facto liquores aquosi commixti et, si limpidi non essent, filtrati evaporent ad siccum.

Residuum in pulverem redactum servetur vase sicco bene clauso.

Sit pulvis e flavo albus, saporis adstringentis austeri, in aqua et spiritu vini facile et ex toto solubilis, ignitus sine residuo comburat. Solutio spirituosa reactionis acidulae admixto aethere ne turbetur.

Acidum tartaricum.

Acidum Tartari. Sal essentiale Tartari.

Crystalli prismaticae vel tabulaeformes, in crustas concretae; sint decolores, inodorae, ex integro combustibiles, chartam bibulam ne humectent; in aqua destillata solutae nec aqua hydro-sulfurata, nec baryo chlorato, nec ammonio oxalico tentatae turbentur.

Pulvis aërophorus. Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

† Aconitinum.

Sit pulvis albus, saporis fortiter amari, dein acris, urentis, reactionis alcalinae, sub 80° liquescat, quin vapores aqueos edat, in aqua fervida in massam resinosam flavescentem conglutinet, in partibus quinquaginta aquae bullientis solvatur; itidem solubile sit spiritu vini, aethere, chloroformio; per acidum sulfuricum concentratum induat colorem ab initio flavum, dein ex fusco rubrum. Sit sine residuo combustibile.

† Aconitum.

Aconitum Napellus Linn. ejusque varietates in nostris alpibus indigenae: *Aconitum neomontanum Wulf.* et *Aconitum tauricum Wulf.* Ranunculaceae.

Tubera (Radix Aconiti) napiformia, obconica, superne residuo caulis vel gemma terminata, aut solitaria, aut bina imparis aetatis cohaerentia, recentia succulenta, siccata dura, quatuor ad octo centimetra longa, superne duo ad tria centimetra crassa, seniora ponderosa, compacta, intus ex albo cinerescentia, juniora levia, non raro excavata, utraque extus plus minusve intense fusca, radiculis tenuibus plus minusve longis numerosis in omni ambitu obsessa aut radicibus hisce deciduis cicatrisata, longitudinaliter rugosa, perraro et quidem solummodo juniora glabra. In segmento transverso cortex relative crassus, punctatus, a medulla stellatim circumscripta circulo ligneo, angustissimo, obscuriore, stellatim quatuor- vel septem-radiato, radiis valde porrectis, separatus. Odor siccatorum nullus, recentium acris raphani similis; masticata ab initio exiguam, serius acerrimam, diu haerentem producunt sensationem relicta anaesthesia linguae qua organi gustatorii.

Rejiciantur tubera aliarum Aconiti specierum, inprimis Aconiti variegati *Linn.*, prioribus minora, ligno et medulla irregulariter stellatis, radiis parum porrectis.

Fodiantur tubera plantae spontaneae florentis, caute siccanda et servanda.

† *Extractum.* † *Tinctura.*

Aether aceticus.

Naphta Aceti. Naphta seu Aether vegetabilis.

Rpe: **Natrii acetici crystallisati ad perfectam siccitatem redacti** *grammata quingenta sexaginta.* 560

In cucurbitam immissis infunde miscellam ex

Spiritus Vini 90% *grammatibus quingentis sexaginta,* 560

Acidi sulfurici anglicani *grammatibus septingentis* 700

paratam.

Adaptato refrigeratore Liebigiano post 24 horas fiat destillatio in refrigeratum excipulum, donec

Liquoris aetherei *grammata sexcenta et triginta* 630

transierint.

Destillatum, quodsi liberum acidum continet, cum magnesii oxydati parva quantitate, dein cum aequali volumine solutionis saturatae

Natrii chlorati

conquassa.

Liquor aethereus a solutione salina separatus stet super calcio chlorato fuso per 24 horas in vase clauso, dein destillet ex balneo aquae in lagenam perfecte siccatam, quam optime clausam serves.

Sit limpidus, decolor, ab aqua et acido liber, pond. spec. 0·9. Quodsi partem unam aetheris acetici novem partibus aquae conquassando miscueris, exigua ejus pars non soluta aquae supernatet.

Aether crudus.

Aether sulfuricus crudus.

Sit ponderis spec. 0·73.

Aether depuratus.

Aether sulfuricus. Aether Vitrioli. Naphtha Vitrioli.

Rpe: **Aetheris crudi** *q. v.*

Admisce pauxillum kalii hydro-oxydati soluti ad perfectam acidi neutralisationem. Dein liquor aethereus stet super calcio chlorato fuso saepius conquassando per 24 horas, demum defusus ex balneo aquae destilletur in excipulum glacie refrigeratum. Servetur in lagenis optime clausis in loco frigido.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis spec. 0·725, e palma manus prompte evaporet, quin odorem olei vini vel fermentolei in ea relinquat.

Spiritus Aetheris.

Agaricus Chirurgorum.

Agaricus quercinus praeparatus.

Polyporus fomentarius Fries. Fungi.

Frusta fungi per omnem fere Europam mediam in truncis annosis imprimis quercuum nascentis, mercabilia, maceratione in aqua et tusione cum malleis ligneis (potissimum in Hungaria) praeparata, in vulgus notissima. A merce kalio nitrico impraegnata cave.

Aloë.

Aloë lucida. Aloë socotrina.

Diversae species generis Aloës: *Aloë vulgaris Lam.*, *Aloë socotrina Lam.*, *Aloë purpurascens Hawk.*, *Aloë spicata Thunb.*, *Aloë arborescens Mill.* etc., plantae in Africa australi et India orientali occidentalique indigenae. Liliaceae.

Succus induratus e propriis foliorum vasis elicitus sistit frusta variae magnitudinis verniceo nitentia, e fusco viridique purpurascentia, fractura conchata lucida, ad margines subdiaphana, in calore mollescentia, in frigore friabilia, pulverem flavum, odoris nauseosi, saporis peramari largientia. Solvitur aloë in aqua frigida partim, resinam mollem relinquens; in aqua fervida turbidam, in spiritu vini fere limpidam solutionem praebet.

Adfertur nobis e promontorio bonae spei.

Extractum. Massa pilularum Ruffi. Pilulae laxantes.

Althaea.

Althaea officinalis Linn., planta indigena, saepissime in usus pharmaceuticos culta. Malvaceae.

Folia subcordato-ovato-angulosa, vel subovata, inaequabiliter dentata, quinque-nervia, tomentosa, mollia, ex albo viridia, odoris nullius, saporis mucilaginosi. Colligantur aestate florente planta.

Species Althaeae. Species emollientes. Species pectorales.

Radices rhizomatis (Radix Althaeae) teretes, longae, a calamo scriptorio ultra digitum crassae, epidermide flaviusculo-grisea dempta albae, libro crassiusculo, valde fibroso et flexili, ligno carnoso, amylo scatente farinoso. Odor peculiaris debilis, sapor fatuus, valde mucilaginosus.

Radix plantae spontaneae vel cultae fodiatur primo vere vel autumno, rejectis rhizomate partibusque lignosis et cariosis; cortice exteriore privata cito siccanda.

Species Althaeae. Species pectorales. Syrupus. Tabulae.

Alumen.

Sulfas Aluminae et Lixivae cum aqua.

Sistit crystallos octaëdricas, decolores, saporis stiptici subdulcis. In aëre paulum fatiscit, calefactum aquam emittit et in massam spongiosam abit, demum fortiter ustum acidi sulfurici partem amittit.

Cuprum aluminatum. Decoctum Zittmanni fortius.

Alumen ustum.

Alumen calcinatum seu spongiosum. Sulfas Aluminae et Lixivae anhyder.

Sistit massam spongiosam, levem, saporis parum adstringentis, in sufficienti quantitate aquae destillatae lente quidem (vix ante 24 horas), sed ex toto solubilem.

Cave ab alumine nimio calore usto, quod praeter aquam etiam acidi sulfurici partem perdidit, hinc solummodo ex parte in aqua solvitur.

Alumina hydrica.

Hydroxydum Aluminii. Oxydum Aluminii hydratum.

Rpe: **Aluminis** *grammata quingenta quinquaginta,* 550

Aquae destillatae fervidae

grammatum quinque millia, 5000

filtra solutionem adhuc calidam, cui adde

Natrii carbonici crystallisati

grammata quingenta 500

soluta in

Aquae destillatae fervidae

grammatum duobus millibus. 2000

Miscellam intime agitatam digere per 24 horas. Praecipitatum filtro collectum elue, donec reactio alcalina disparuerit, tum solve in

Acidi hydro-chlorici diluti puri

quantitate sufficiente. (*circ. gramm.* 1060)

Solutioni adde

Ammoniae *sufficientem quantitatem*

(*circ. gramm.* 600)

ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum optime lotum, inter chartam bibulam expressum et aëre siccatum in pulverem subtilissimum redige.

Sit pulvis albus, levis, linguae adhaerens, cum aqua tenuem pultem reactionis neutrius formet, in aci-

dis quamvis dilutis nec non in solutione natrii hydro-oxydati perfecte solvatur.

Ammonia.

Ammonia pura liquida. Ammonia aqua soluta. Spiritus Salis ammoniaci causticus. Liquor Ammonii caustici. Ammoniacum causticum solutum.

Sit liquor limpidus, decolor, odoris penetrantis peculiaris, saporis valde caustici, penitus volatilis, ponderis spec. 0·960.

Liquor nec aqua hydro-sulfurata, nec baryo chlorato tentatus praecipitatum producat, quod acido hydro-chlorico diluto solvi non possit.

Continet in 100 partibus partes 10 ammoniae, hinc grammata quinque neutra reddantur grammatibus viginti novem et quatuor decimis grammatis partibus (29·4) solutionis alcalimetricae.

Linimentum ammoniatum. Linimentum saponato-camphoratum.

Ammoniacum.

Gummi Ammoniacum. Gummiresina Ammoniacum.

Dorema Ammoniacum Don., planta Persidem incolens. Umbelliferae.

Succus lacteus aëre induratus sistit aut grana plus minusve rotunda, magnitudine pisi usque ad fructum juglandis, solitaria, aut in massam irregularem coëuntia, extus flava, intus albida, pingui splendentia, frigore duriuscula, fragilia, in pulverem redigenda, ca-

lore mollescentia, saporis amari acris, odoris peculiaris, calore allium nonnihil redolentis, aqua trita lactescentia, in spiritu vini partim solubilia. Sint a quisquiliis libera.

Emplastrum diachylon compositum. Emplastrum de Meliloto. Emplastrum oxycroceum.

Ammonium aceticum solutum.

Ammoniacum aceticum solutum. Liquor Ammonii acetici. Acetas Ammoniae solutus. Spiritus Mindereri concentratus.

Rpe: **Acidi acetici diluti** *grammata centum.* 100

Paulatim adde

Ammonii carbonici ruditer tusi *q. s.*

ad perfectam neutralisationem (*circ. gramm.* 20·5)

Liquori filtrato admisce

Aquae destillatae *q. s.*,

ut solutio sit ponderis spec. 1·03.

Sit limpidum, coloris expers, ex integro volatile et, quantum obtineri potest, neutrum. Aqua hydro-sulfurata ne turbetur.

Ammonium carbonicum.

Alcali volatile siccum. Carbonas Ammoniae. Ammoniacum carbonicum.

Frusta alba, diaphana, odoris pungentis ammoniacalis, in superficie pulverulenta, sub calore aucto ex

integro volatilia. Empyreuma ne redoleant. Ammonii chlorati nonnisi vestigia conceduntur.

Ammonium chloratum.

Ammonium muriaticum depuratum. Ammoniacum hydro-chloratum. Hydrochloras Ammoniae. Flores Salis ammoniaci simplices. Murias Ammoniae. Hydrochloras ammoniacus. Chlorhydras Ammoniae. Chloretum Ammonii.

Rpe: **Ammonii chlorati sublimati crudi**
grammata quingenta, 500

solve in

Aquae destillatae fervidae
grammatibus mille et quingentis. 1500

Solutioni adde

Ammoniae *grammata viginti.* 20

Stet per aliquot dies in vase tecto, dein filtretur et ad siccum evaporetur sub continua agitatione.

Pulvis crystallinus sit albus, sub calore ex integro volatilis, ab empyreumate liber. Baryo chlorato vel aqua hydro-sulfurata tentatus ne turbetur.

Collyrium adstringens luteum.

Amygdala amara.

Amygdalus communis Linn., arbor in Syria et Africa boreali sponte crescens, apud nos culta. Amygdaleae.

Semina ovato-oblonga, compressa, constant ex integumento membranaceo, luteo-fusco, longitudinaliter rugoso-striato, pulverulento scabro et ex embryone albo, carnoso, in cotyledones duas plano-convexas

secedente, radicula minima, recta. Sunt saporis peramari, odoris nullius, digitis autem cum paululo aquae trita odorem spargunt proprium aethereum. Rejiciantur rancida, insectis corrosa, vetusta.

Aqua amygdalarum amararum concentrata. Syrupus amygdalinus.

Amygdala dulcis.

Varietas prioris.

Semina saepe nonnihil majora, caeterum omni ex parte amaris quoad formam similia, solo sapore oleoso, subdulci et defectu odoris distinguenda ab iis.

Nonnisi recentia, integra, ranciditatis expertia praesto sint.

Emulsio. Syrupus amygdalinus.

Amylum.

Amylum Tritici.

Triticum sativum Linn. Gramineae.

Amylum ex fructibus tritici in officinis propriis separatum venditur in frustis irregularibus, facillime in pulverem subtilissimum, e subcaeruleo album, opacum, odoris et saporis expertem, in aqua frigida et spiritu vini non solubilem dilabentibus. Microscopice exploratum sistit corpuscula orbicularia vel subrenata, magnitudine quam maxime differentia, puncto centrali et stratis concentricis tenerrimis notata. Amylum cum partibus nonaginta sex aquae bullientis praebet liquorem mucilaginosum, sublactaceum, jodo addito colorem e caeruleo violaceum referentem.

Pulvis gummosus. Unguentum Glycerini.

BIBLIOTEKA PUBLICZNA W BIELSKU-BIAŁEJ

Angelica.

Archangelica officinalis Hoffm., planta biennis in regionibus subalpinis et paludosis Europae imprimis borealis crescens, in hortis rusticorum non raro culta. Umbelliferae.

Radix constat ex caudice crassiusculo, ad octo centimetra longo, subspongioso, sursum annulato, una cum radiculis ex eo undique prodeuntibus longis, quatuor vel sex millimetra crassis, mollibus, sulcatis, cortice crassiusculo, extus griseo-fusco, intus albo, receptaculis balsamiferis copiosis, flavis, nitidis repleto; ligno radiato, subflavo. Radix manducata urens, odoris penetrantis, peculiariter aromatici, saporis primum subdulcis, deinde amari. Radix insectis corrosa rejiciatur.

Primo vere anni aetatis plantae secundi effossa et caute siccata servetur in vasis bene clausis.

Acetum aromaticum. Electuarium aromaticum.

Anisum stellatum.

Illicium anisatum Linn., arbor Sinensis. Magnoliaceae.

Fructus Anisi stellati (Semina Anisi stellati seu Badiani). Carpidia sena usque octona, circa columellam centralem verticillatim contigua, libera, plerumque inaequalia, cymbiformia, subovata, a latere compressa, basi subventricosa, apice juxta suturam ventralem bivalvia, coriaceo-sublignosa, e griseo ferruginea, extus rugulosa, intus laevigata, semine solitario, compresso,

testa castanea nitida vestito foeta, anisi odore, sed multum gratiore, sapore cum aliqua dulcedine aromatico, subacri.

Species pectorales. Syrupus mannatus.

Anisum vulgare.

Anisum vulgare Gärtn., Pimpinella Anisum Linn., planta in Oriente indigena, apud nos culta. Umbelliferae.

Fructus Anisi vulgaris (Semen Anisi). Diachenium ovatum vel subglobosum, pubescens, griseo-virescens, mericarpiis quinquecostatis, costis aequabilibus, lateralibus, marginantibus, vittis plurimis, inter costas sitis. Odor intense aromaticus, sapor fervidus juncta dulcedine.

Decoctum Zittmanni. Pilulae laxantes. Spiritus.

Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

Rpe: **Amygdalarum amararum**
grammata mille. 1000

Contunde et iterata expressione ab oleo pingui libera. Placentam expressam in pulverem per cribrum trajiciendum redige et in duodecim partes divide. Partem unam sepone, reliquas undecim partes sensim ingere in vesicam destillatoriam, quae continet

Aquae communis bullientis
grammatum decem millia. 10,000

Miscella ebulliat per aliquot minuta, dein ignis removeatur. Post refrigerationem admisce adhuc residuam partem placentarum amygdalarum. Stet per nycthemerum, dein destilla, donec

grammatum duo millia 2000

transiverint.

Liquor sit parum lactescens, odoris amygdalarum amararum, saporis urentis, minime dulcis. Contineat in millenis partibus partes sex decimas (0·6) acidi hydrocyanici; hinc grammata quingaginta (50) aquae praebeant 0.15 partes grammatis argenti cyanati.

Servetur in lagenis minoribus, plenis, optime clausis in loco obscuro et frigido.

Aqua Amygdalarum amararum diluta.

Rpe: **Aquae amygdalarum amararum concentratae** *grammata viginti quinque,* 25

Aquae destillatae *grammata ducenta septuaginta quinque.* 275

Ex tempore paranda.

Aqua aromatica spirituosa.

Balsamum embryonis.

Rpe: **Florum Lavandulae**
Foliorum Salviae
„ **Melissae**
„ **Menthae crispae**
āā grammata centum, 100
Nucis moschatae
Caryophyllorum

Macidis
Corticis Cinnamomi
Rhizomatis Zingiberis
Fructuum Foeniculi *āā grammata quinquaginta.* 50

Conscissis et contusis affunde

Spiritus Vini 90% *grammata mille,* 1000
Aquae communis *grammatum octo millia.* 8000

Post macerationem duodecim horarum abstrahe *grammatum quinque millia.* 5000

Aqua Aurantii florum.

Aqua Naphae.

Metallis inquinata rejicienda.

Gelatina Liquiritiae pellucida. Pasta gummosa. Tabulae de Althaea.

Aqua Calcis.

Aqua Calcariae. Calcaria soluta. Liquor Calcis.

Rpe: **Calcii oxydati recenter usti** *grammata centum.* 100

Consperge in olla fictili cum

Aquae communis *grammatibus quinquaginta.* 50

Post exstinctionem admisce

Aquae communis *grammatum decem millia.* 10.000

Miscellam in lagenis bene clausis serva interdum agitando.

Usui liquorem limpidum defunde et, si opus fuerit, filtra.

Ebullitione turbetur.

Aqua carminativa.

Rpe: **Florum Chamomillae romanae**
grammata centum, 100
Corticum Aurantiorum
Corticum Citri
Foliorum Menthae crispae
Fructuum Carvi
„ **Coriandri**
„ **Foeniculi** *āā grammata triginta.* 30

Conscissis et contusis affunde

Aquae communis *grammatum quatuor millia.* 4000

Post macerationem viginti quatuor horarum abstrahe *grammatum duo millia* 2000

Aqua Chamomillae.

Rpe: **Florum Chamomillae vulgaris siccatorum**
grammata ducenta, 200
Aquae communis *grammatum sex millia.* 6000
Abstrahantur *grammatum duo millia.* 2000

Aqua Chlori.

Chlorum solutum. Liquor Chlori. Aqua oxymuriatica. Chlorina liquida.

Rpe: **Mangani hyperoxydati in frustis** *q. v.*

Immitte in cucurbitam satis capacem et adde

Acidi hydro-chlorici crudi antea tertia parte aquae communis diluti quantitatem sufficientem, ut ad dimidium circiter cucurbita sit repleta.

Cucurbitam junge cum excipulo Wulfiano, cui inest aquae communis quantitas sufficiens ad lotionem gasis extricati.

Excipulo adapta tubum vitreum bis curvatum, cujus longior extremitas fere tangat fundum lagenae, quae ad dimidium aqua destillata sit repleta.

Leni calore fiat extricatio gasis. Lagenam, quodsi chloro repleta fuerit, commuta cum altera similem quantitatem aquae destillatae continente. Lagena remota claudatur et gas cum aqua conquassetur, dein denuo chlorum in lagenam inducatur. Hanc agendi rationem etiam cum altera lagena exsequere et repete, donec gas non amplius absorbeatur.

Sit limpida, e subflavo viridis, odoris suffocantis, colores vegetabiles cito destruat.

Servetur in lagenis parvis, penitus repletis, epistomeis vitreis clausis in loco frigido, a luce remoto.

Aqua Cinnamomi simplex.

Rpe: **Corticis Cinnamomi**
grammata ducenta, 200
Aquae communis *grammatum quatuor millia.* 4000
Macera per duodecim horas, deinde abstrahe
grammatum duo millia. 2000

Aqua Cinnamomi spirituosa.

Rpe: **Corticis Cinnamomi**
grammata ducenta, 200
Aquae communis *grammatum quatuor millia,* 4000

Spiritus Vini 70% *grammata ducenta et quinquaginta.* 250

Macera per duodecim horas, tum abstrahe *grammata mille.* 1000

Tinctura amara. Tinctura Malatis Ferri. † *Tinctura Opii crocata.*

Aqua destillata simplex.

Rpe: **Aquae communis** *q. v.*

Fiat lege artis destillatio ex vesica optime mundata, ita ut liquidi duodecima circiter pars, quae prima in excipulum stillaverit, rejiciatur, deinde destillatio tamdiu continuetur, donec totius aquae adhibitae tres fere quadrantes in excipulum transmissae fuerint.

Aquae grammata viginti post evaporationem residui nihil derelinquant. Quodsi tentatur sive cum aqua hydro-sulfurata sive cum solutionibus argenti nitrici, baryi chlorati, plumbi acetici, acidi oxalici, nec praecipitatum edat, nec turbida evadat.

Aqua Foeniculi.

Rpe: **Fructuum Foeniculi** *grammata centum,* 100

Aquae communis *grammatum quatuor millia.* 4000

Macera per duodecim horas et abstrahe *grammatum duo millia.* 2000

Aqua Kreosoti.

Rpe: **Kreosoti** *gramma unum,* 1
solve agitando in
Aquae destillatae *grammatibus centum.* 100
Filtratam exhibe.
Ex tempore paranda.

Aqua Laurocerasi.

Sit subturbida, odoris et saporis penetrantis amygdalarum amararum, minime dulcis. Aqua hydro-sulfurata ne turbetur.

Contineat in 1000 partibus partes 0·6 acidi hydrocyanici, quod eodem modo dignoscatur, qui sub articulo „Aqua amygdalarum amararum concentrata“ praescriptus est.

Servetur in lagenis minoribus, plenis, optime clausis in loco obscuro et frigido.

Aqua Melissae.

Rpe: **Foliorum Melissae siccatorum**
grammata quadringenta, 400
Aquae communis *grammatum sex millia.* 6000
Abstrahantur *grammatum duo millia.* 2000

Aqua Menthae piperitae.

E foliis menthae piperitae siccatis paretur ut aqua melissae.

Aqua plumbica.

Aqua saturnina. Plumbum aceticum basicum solutum dilutum.

Rpe: **Plumbi acetici basici soluti**
gramma unum, 1
Aquae destillatae *grammata quinquaginta.* 50
Misce ex tempore.

Aqua Rosarum.

Rpe: **Olei Rosarum** *decigramma unum,* 0·1
Aquae destillatae *grammata quadringenta.* 400
Misce bene conquassando ad olei solutionem et filtra.

Unguentum emolliens. Unguentum pomadinum.

Aqua Rubi Idaei.

Rpe: **Fructuum Rubi Idaei maturorum**
grammata quadringenta, 400
Aquae communis *grammatum quatuor millia,* 4000
abstrahe *grammatum duo millia.* 2000

Aqua vegeto-mineralis Goulardi.

Aqua Goulardi.

Rpe: **Plumbi acetici basici soluti**
grammata duo, 2
Aquae communis *grammata centum,* 100
Spiritus Vini 70% *grammata quinque.* 5
Ex tempore paretur.

Argentum nitricum crystallisatum.

Nitras Argenti.

Rpe: **Argenti puri** *q. v.*,
solve leni calore in
Acidi nitrici diluti puri *q. s. (sextuplum circiter Argenti requiritur).*

Solutio calefiat, donec vapores nitrosi non amplius evolvantur, dein filtretur et ad crystallisationem evaporetur. Crystallis collectis et a muria separatis hanc novitus evapora, donec crystalli non amplius concrescant.

Crystallos collectas pauxillo aquae ablutas et siccatas in vitro serva.

Crystalli tabulaeformes, decolores, in aëre, qui materiis organicis immunis est, non mutantur, leni igne liquefiunt, aucto destruuntur; solvuntur in aquae frigidae aequali pondere, difficilius in spiritu vini. Solutio aquosa per ammoniam abundantem nec sedimentum album demittat, nec colorem caeruleum induat.

Argentum nitricum cum Kalio nitrico.

Argentum nitricum mitigatum fusum.

Rpe: **Argenti nitrici crystallisati** *grammata quinque,* 5
Kalii nitrici *grammata decem.* 10

Intime mixta, in vase porcellaneo liquata in baccillorum formam funde.

Baccilli sint albi, duri, fracti superficiem vix crystallinam praebeant.

Argentum nitricum fusum.

Nitras Argenti fusus. Lapis infernalis.

Rpe: **Argenti nitrici crystallisati** *q. v.*

Immitte in vas porcellaneum, quod igne sensim aucto calefiat, donec massa olei instar fluxerit. Liquidum effundatur in modulum bene mundatum et calefactum, ut refrigeratum baccillorum formam habeat.

Baccilli, in vase bene clauso servandi, sint albi vel cinerescentes, fracturae radiatae, in aequali pondere aquae frigidae, nec non in spiritu vini solubiles.

Arnica.

Arnica montana Linn., planta indigena, in Europae mediae et borealis pratis montanis silvaticis sat frequens. Compositae.

Flores. Capitula radiata luteo-aurantiaca, floribus radii ligulatis, quatuor millimetra circiter latis, tridentatis, anantheris, disci tubulosis, hermaphroditis, quinque-dentatis, acheniis subcylindricis, asperis, pappo rigido, piloso, barbellato coronatis, receptaculo subpiloso insistentibus. Capitula perfecte explicata et remotis involucris siccata, a larvis nigris Trypetae Arnicae libera serventur. Odor exiguus aromaticus, sapor acris amarus. Digitis confricati sternutationem movent.

Folia quinque-nervia, integerrima, superne laete viridia, sparse pilosa, subtus pallidiora, subvillosa, radicalia 2—6 verticillatim congesta, ovata, basi angustata, caulina opposita, oblongo-lanceolata.

Rhizoma (Radix Arnicae) horizontale vel obliquum diversae longitudinis, ad tria millimetra crassum, praemorsum, fuscum, rugosum, annulatum, passim squamis badiis, mollibus et caulium rudimentis obsessum, cortice crassiusculo, intus albido, circa lignum subcitrinum, radiatum annulo ductuum balsamiferorum ornato; medulla albida; ex inferiore latere emittens radices copiosas, longas ad millimetrum crassas, duras, fragiles, pallide flavas, intus albidas, cortice ductibus balsamiferis praedito. Odor aromaticus singularis, sapor subamarus, aromaticus, mordax, diu indurans.

Rhizoma vere vel autumno collectum aeque facile distinguitur characteribus modo allatis a radicibus quoad formam similibus Betonicae, Fragariae, Hieraciorum, Eupatorii etc., ac flores discrepant a floribus aliarum Compositarum, quibuscum permutari possent.

Tinctura.

Arrow-root.

Amylum Marantae.

Maranta arundinacea Linn., planta in insulis Antillanis spontanea, in pluribus terris tropicis (imprimis Asiae) culta. Cannaceae.

Pulvis albissimus, subtilissimus, opacus, inodorus, insipidus, in aqua frigida et spiritu vini insolubilis, cum partibus nonaginta sex aquae bullientis mucilaginem formans tenuiorem, pellucidam, addito jodo e caeruleo violaceo colore tinctam. Amylum cum decem partibus mixturae ex acidi hydro-chlorati partibus duabus et aquae parte una paratae per sextantem horae

conquassatum pro maxima parte immutatum praecipitetur, neque gelatina fiat, neque odor herbaceus, leguminum phaseoli immaturorum recentium odori comparandus exhaletur, qua signum, cum amylo solani tuberosi inquinatum non esse. Praeter sat frequentem adulterationem cum hoc amylo, cujus corpuscula praeterea magnitudine eminentiore, stratis concentricis magis conspicuis prae illis marantae excellunt, non raro sub eodem nomine Arrow-root venditur amylum Curcumae angustifoliae et leucorrhizae *Roxb.* ex India orientali, et amylum Manihot utilissimae *Pohl* e Brasilia aliisque terris nobis advectum, quae investigatione microscopica facile discerni possunt. Granula amyli marantae ovalia vel rotundo-ovalia, stratis numerosis tenerrimis et in regione latioris diametri rimula transversa vel puncto maxime excentrico instructa, quoad magnitudinem minus inter se divergentia, ac in pluribus aliis amyli speciebus esse solet. Amylum curcumae ex granulis constat planis, ovatis vel ovato-oblongis, hinc obtusis, inde plus minusve acutis, ibidem puncto maxime excentrico, stratis denique lunatis numerosissimis tenuissimisque praeditis. Amylum Manihot constat e granulis primo bi-, ter- vel quaternatim cohaerentibus, in sicco separatis nunc tympani formam exhibentibus, puncto centrali stratisque concentricis instructis.

Asa foetida.

Gummiresina Asae foetidae.

Ferula Asa foetida Linn., *Scorodosma foetidum Bunge.* Habitat in Persia meridionali. Umbelliferae.

Succus lacteus e radice stirpis vulnerata collectus, solis calore induratus, sistit grana variae magnitudinis libera vel inter se conglutinata vel massas irregulares, fractura recenti albida, opalina, pinguiter nitida, mox purpurascentia, tandem sordide fuscescentia, sub digitis lentescentia; odoris vehementissime alliacei, saporis peculiaris, cum aliqua acredine leviter amaricantis. Cum aqua trita refert asa foetida liquorem lacteum; in spiritu vini ultra dimidiam partem solvitur. Pulvis lutescens frigore ex illa obtentus et ab immixtis quisquiliis ope cribri setacei ad hoc destinati purgatus servetur loco sicco et sat frigido.

† Atropinum sulfuricum.

Atropinae Sulfas.

Crystalli prismaticae albae, graciles, in aëre constantes, reactionis alcalinae, facillime solvuntur in aqua et spiritu vini, non solvuntur in aethere, nec in chloroformio. Calefactae partim decomponuntur, partim sublimantur, ignitae nullum residuum relinquunt. Acido sulfurico concentrato humectatae initio colorem non mutant, demum solutio e flavo fuscum colorem induit.

Solutio ex parte una in partibus mille aquae destillatae saporis adhuc est amari, nauseam moventis, et pupillam dilatat.

Aurantium.

Citrus Aurantium Linn., arbor in regionibus calidioribus totius orbis culta. Aurantiaceae.

Cortex Aurantiorum (Malicorium Aurantii). Cortex fructuum maturorum detractus et siccatus constat e strato exteriore glanduloso-rugoso, oleo aethereo scatente, aromatico, quod sistit partem officinalem sub nomine: **Flavedo corticis Aurantii** notam, et ex strato interiore, albo, spongioso, amaro. ··

Aqua carminativa simplex. Species amaricantes. Syrupus. Tinctura. Tinctura Absinthii composita. Tinctura amara. Tinctura Rhei vinosa Darelli.

Folia Aurantii sempervirentia coriacea, cum petiolo late obovato alato articulata, ovato-oblonga, glabra, saturate viridia, siccatione pallida, subserrata, pellucido-punctata, odoris grate aromatici, saporis aromatico-amari.

Axungia Porci.

Sit albissima, fere inodora, saporis blandi, non rancidi.

Balsamum Copaivae.

Copaiferae Linn. variae species. Caesalpineae.

Succus aethereo-resinosus, ex incisis aut terebratis truncis arborum Americae meridionalis, imprimis Brasiliae interioris, effluens, pellucidus, flavus, olei pinguis consistentiae, odoris proprii balsamici, saporis cum aliqua acredine amaricantis, in spiritu vini et aethere solubilis. Calefactum balsamum ne oleum terebinthinae redoleat et, quodsi oleum aethereum evanuit, resinam frigide friabilem, non mollem nec fluidam relinquat.

Vetustum, coloris obscurioris et consistentiae spissioris rejiciendum.

Balsamum peruvianum.

Balsamum peruvianum nigrum.

Myroxylon Sonsonatense Klotzsch, arbor in America centrali-occidentali indigena. Papilionaceae.

Succus e cortice laeso adjuvante igne effluens, nigro-fuscus, in guttis singulis fusco-ruber, diaphanus, consistentiae syrupi, in aëre minime siccescens, reactionis acidae, ponderis specif. 1·15, odoris gratissimi vanillae aemuli, saporis aromatici, subamari et acris diu haerentis.

Balsamum vitae Hoffmanni. Emplastrum anglicanum.

Balsamum vitae Hoffmanni.

Rpe: **Olei Lavandulae**		
„ **Citri**	*āā grammata duo,*	2
Olei Caryophyllorum		
„ **Macidis**		
„ **Aurantii florum**	*āā gramma unum,*	1
„ **Cinnamomi**	*guttas quinque,*	
Balsami peruviani	*grammata duo,*	2
Spiritus aromatici	*grammata quingenta.*	500

Stent in digestione per aliquot dies, dein miscella bene saturata filtretur et servetur.

† Belladonna.

Atropa Belladonna Linn., planta perennis, in Europae fere totius nemoribus, imprimis montanis, crescens. Solanaceae.

Folia ovata, brevi petiolata, acuta, integerrima, tactu mollia, superne saturate viridia, glabra, subtus pilis brevissimis glandulosis praeprimis circa nervaturam conspersa, hinc subviscida. Odor exiguus subnarcoticus, sapor amariusculo-subacris. Folia e planta florifera decerpenda, cito siccanda et in vase bene clauso caute servanda; quotannis renovanda.

Radix fusiformi - cylindrica, ramosa, longa, ad quatuor centimetra crassa, ramis longis, simplicibus, calamo scriptorio paulo crassioribus, extus siccatione sordide grisea, longitudinaliter rugosa, intus albida vel subcinerea, fasciculis ligni ambitu annulatim approximatis, intus sparsis, subflavis, porosis instructa; fracta pulverem emittit. Fodiatur radix florente et fructus gerente planta et rejectis partibus quoquo modo vitiatis, caute siccata servetur in loco bene clauso. Radix lignosa, tenax, a vermibus exesa rejiciatur, caeterum quotannis renovanda.

† *Extractum.* † *Tinctura.*

Benzoë.

Resina Benzoës. Asa dulcis.

Styrax Benzoin Dryand., arbor in India orientali indigena. Styraceae.

Resina sponte effluens vel vulneratione arboris ad lignum usque facta manans occurrit in frustulis discretis, irregularibus, albis, splendentibus: **Benzoë in granis,** vel sistit frusta irregularia variae magnitudinis, luteo-fusca, partim pellucida, partim luci impervia, frustulis albidis diaphanis, fractura splendentibus, plus minus intermixta: **Benzoë amygdaloides,** odoris imprimis dum calefit pergrati, vanillacei, saporis subdulcis pungentis. Benzoë in spiritu vini facile solvitur.

Emplastrum anglicanum. Tinctura.

Bismuthum subnitricum.

Bismuthum hydrico-nitricum. Bismuthum album. Subnitras bismuthicus. Magisterium Bismuthi.

Rpe: **Bismuthi subtiliter pulverati** *grammata ducenta,* 200
Kalii nitrici *grammata viginti.* 20

Intime mixta in crucibulo calore sensim aucto liquescant et saepius agitando per quadrantem horae fluant.

Metallum in aquam effusum a scoriis separa.

Hujus metalli ruditer pulverati *grammata centum* 100

sensim ingere in cucurbitam, quae continet

Acidi nitrici concentrati *grammata ducenta et sexaginta.* 260

Languescente solutione vim acidi calefaciendo auge, demum ebulliat. Liquorem partum defunde et misce cum

Aquae destillatae tepidae *grammatum sex millibus.* 6000

Praecipitatum inde enatum filtro collectum atque

Aquae destillatae frigidae *parva quantitate*

lotum inter chartam bibulam exprime et in loco umbroso sicca.

Pulvis albissimus, subcrystallinus, sit acido nitrico diluto absque effervescentia solubilis et ab arsenico liber.

Calamus.

Acorus Calamus Linn., planta perennis, in Asia indigena, nunc in locis paludosis Europae mediae ubique sponte crescens. Aroideae.

Rhizoma (Radix Acori, Radix Calami aromatici) subcylindricum, compressum, horizontale, digiti crassitiei, annulato-geniculatum, ad geniculos squama fusca vaginatum, inferne radicibus abscissis cicatrisatum, recentis epidermide olivacea, in sicco brunescente, parenchymate albido, canalibus aëriferis numerosissimis spongioso, circulo obscuriore instructo, odoris aromatici fragrantis, saporis amari et nonnihil acris. Sero autumno effossum rhizoma, leni calore siccatum, nonnisi decorticatum adhibeatur.

Species amaricantes. Tinctura Absinthii.

Calcium carbonicum nativum.

Creta alba.

Unguentum sulfuratum.

Calcium carbonicum purum.

Calcaria carbonica. Carbonas Calcis praecipitatus.

Rpe: **Calcii oxydati** *grammata quinquaginta,* 50

solve in

Acidi nitrici diluti puri *grammatibus quingentis et triginta.* 530

Solutum stet in loco tepido per aliquot horas, dein adde

Calcii hydro-oxydati *q. s.*

ad reactionem liquoris alcalinam.

Post 24 horas filtra. Liquori filtrato adde

Ammonii carbonici *grammata centum et duodecim* 112

soluta in

Aquae destillatae *grammatibus quingentis.* 500

Calefac miscellam ad ebullitionem, dein praecipitatum in filtro collige, aqua destillata optime elue, demum in loco calido perfecte exsicca.

Sit pulvis niveus, subtilissimus, insipidus. In aqua mediante acido hydro-chlorico diluto solutus nec baryo chlorato nec ammonio hydro-sulfurato turbetur.

Pasta dentifricia. Pulvis dentifricius.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

Calcium chloratum fusum.

Sit album, in aqua sine residuo et facile solubile.

Calcium hypochlorosum.

Calcaria chlorata. Calcaria hypochlorosa. Calcaria oxymuriatica. Subchloras calcicus.

Sit pulvis albus, chlorum redolens, saporis amaro-styptici, humiditatem adtrahens.

Contineat in 100 partibus partes minimum 20 chlori activi, inde color solutionis indigo caeruleus in viridem vel flavo-fuscum mutetur, si instillaveris duas tresve ejus guttas miscellae paratae ex

Calcii hypochlorosi *grammate uno,* 1

Aquae destillatae *grammatibus centum,* 100

Acidi arsenicosi in acido hydro-chlorico diluto q. s. soluti *milligrammatibus ducentis septuaginta quinque.* 0·275

Calcium oxydatum.

Calcaria caustica. Calx viva.

Eligantur frusta quam maxime alba, aquam sitientia et cum ea in pulverem subtilissimum dilabentia, qui acido hydro-chlorico diluto ne nimis effervescat.

Servetur in vase optime clauso.

Aqua Calcis.

Calcium oxysulfuratum.

Miscella pro Calcio oxysulfurato.

Rpe: **Calcii oxydati** *grammata triginta,* 30

in frustula contusa inspergantur

Aquae communis *grammatibus viginti.* 20

Calci extinctae admisce

Sulfuris sublimati *grammata sexaginta.* 60

Miscellam in vase optime clauso reconde.

Quodsi exposcitur

Solutio Calcii oxysulfurati,

Solutio Vlemingkx,

hujus miscellae *partes tres*
sensim immittantur
Aquae bullientis *partibus viginti,*
sub continua agitatione coquantur
ad colaturam *partium duodecim.*
Servetur in vase optime clauso.

Calcium phosphoricum.

Calcaria phosphorica. Phosphas Calcis.

Rpe: **Calcii chlorati fusi** *grammata quinquaginta,* 50
solve in
Aquae destillatae *grammatibus trecentis,* 300
adde **Ammoniae** *grammata quinque.* 5

Post 24 horas solutionem filtra, dein admisce continue agitando

Natrii phosphorici crystallisati
grammata centum et sexaginta 160
soluta in
Aquae destillatae *grammatibus nongentis sexaginta.* 960

Praecipitatum inde natum in filtro collige, cum aqua destillata optime elue et leni calore siccatum serva.

Sit pulvis albissimus, in acidis quamvis dilutis sine effervescentia prompte solubilis; quodsi pulvis cum aqua quassatur, filtratum inde obtentum argento nitrico

additis acidi nitrici aliquot guttis ne turbetur. Calcium phosphoricum in acido hydro-chlorico solutum ammonio hydro-sulfurato addito praecipitatum mere album deponat.

Calumba.

Colombo. Columbo.

Cocculus palmatus Wallich, *Menispermum palmatum Lam.*, planta ad litora Africae orientalis intertropica habitans; per Indiam orientalem, ubi colitur, advehitur ejus radix. Menispermaceae.

Radix prostat in segmentis suborbicularibus, tria vel quatuor centimetra latis, quatuor ad duodecim millimetra crassis, compactis, fragilibus, extus rugosis, e griseo-fuscis, intus farinosis, coloris e subviridi vel e subfusco flavi. In segmentis radicis calumbae intra marginem latum, elevatum, tria vel quatuor distinguuntur strata, extimum virescente-flavum, intermedium subfuscum et intimum pallidius cinereo-flavescens, quae cuncta radiis medullaribus fuscis, punctatis interrumpuntur.

Extractum.

Camphora.

Camphora officinalis Nees., *Laurus Camphora Linn.*, arbor in China et Japonia indigena. Laurineae.

Stearoptenum olei aetherei, destillatione e trunco, ramis et foliis cum aqua obtentum qua camphora cruda

in Europa sublimatione addita calcaria et carbone purgatur. Sistit camphora hac ratione raffinata placentas orbiculares, supra convexas, subtus concavas. Massa alba, crystallina, diaphana, levis, pinguiuscula, lamellata, nitida, tenax, odoris penetrantis, admodum peculiaris, saporis aromatici nonnihil amaricantis, in lingua sensum frigoris relinquens, temperatura ordinaria volatilis, incensa liquescens, avolans et flamma lucida fumoque denso deflagrans; in aqua non, facile in spiritu vini, aethere, acido acetico, oleis pinguibus et aethereis solubilis.

Collyrium adstringens luteum. Cuprum aluminatum. Emplastrum Minii adustum. Emplastrum saponatum. Linimentum saponato-camphoratum. Oleum camphoratum. Spiritus camphoratus.

Cannabis indica.

Cannabis sativa Linn., planta in Perside et India orientali indigena, ibidem ac nobis saepissime culta. Cannabineae.

Summitates plantae femineae florentis partim jam fructiferae (Herba Cannabis), nonnisi ex India orientali depromendae, adpresse pilosae, scabrae, massa resinosa excreta ad anthuros densos foliatos, subcompressos conglutinatae; foliis floralibus plerumque simplicibus, lanceolato-linearibus, serratis; bracteis vaginatis, florem femineum vel serius nuculam notissimam includentibus, rufo-glandulosis; odoris praesertim herbae tritae aut paulum calefactae narcotici.

Extractum.

† Cantharis.

Musca hispanica.

Lytta vesicatoria Fabr., insectum in maxima Europae parte obvium. Coleoptera.

Animal integrum, sesqui fere ad tria centimetra longum, ex aureo viridi splendens, antennis nigris, filiformibus, capite exserto declinato, obtuse triquetro, subcordato, thorace obtuse quadrigono, scutello minuto, subrotundo-cordato, elytris oblongis, angustis, laxis, tenuibus, mollibus; in corpore pilis tenerrimis sparsis obsessum, pedibus longis tenuissimis, nigris; odore penetrante, gravi, viroso, sapore ab initio parum manifesto, deinde acerrimo. Apud nos mensibus Junio et Julio potissimum fraxinos, ligustra et syringas gregatim depascens colligitur et bene exsiccatum in vasis bene clausis caute servetur.

Emplastrum Cantharidum. Emplastrum Cantharidum perpetuum. † *Tinctura.*

Capillus Veneris.

Adiantum Capillus Veneris Linn. fil., in Europae australioris rupibus humidiusculis nascens. Filices.

Frondes (Herba Capillorum Veneris) tenellae, decompositae, stipite atro-fusco nitido, ramulis filiformibus, laciniis stipitatis obovato-cuneiformibus, laete viridibus, nervosis, superne inciso-lobatis, lobis crenatis, margine sorum linearem, indusio squamaeformi velatum gerentibus. Trita vel aqua fervente infusa herba odorem

spargit grate aromaticum. Sapor dulciusculus, modice adstringens, cum aliqua amaritudine subacri.

Syrupus.

Caragaheen.

Lichen Caragheen. Muscus Çarragheen.

Sphaerococcus crispus et *Sphaerococcus mamillosus Ag.*, algae ad maris atlantici litora Europae frequentes. Florideae.

Thallus planus vel canaliculatus, dichotomus, laciniis linearibus vel cuneatis, marginibus crispus, recens rubri vel subviridis coloris, in sicco cartilagineus, coloris ex subflavo albi, cum aqua coctus post refrigerationem in gelatinam coit.

Gelatina.

Carbo ligni depuratus.

Carbo vegetabilis.

Rpe: **Carbonum ligni Pini in frustis** *q. v.*

Excandescant in vase ferreo bene tecto, tum refrigeratos, a cineribus depuratos et in pulverem tritos in vase bene clauso repone.

Pulvis dentifricius niger.

Cardamomum.

Elettaria Cardamomum White et *Matoni*, planta Malabariae praesertim. Zingiberaceae.

Semina Cardamomi in capsulis chartaceis, trigonis, striatis, octo ad duodecim millimetra longis, coloris straminei, trilocularibus contenta, parva, dura, obtusangula, rugosa, hinc sulco exarata, fusca, intus albida, odoris intense aromatici fervidi. Rejiciantur cardamomum minus aromaticum, quod vocant longum zeylanicum, nec non rotundum vel javanicum.

Decoctum Zittmanni mitius. Spiritus aromaticus. Tinctura Rhei vinosa Darelli.

Caricae.

Ficus Carica Linn., arbor in Europa australi et Asia mediterranea passim culta. Moreae.

Receptacula fructifera pyriformia, siccata et in formam orbicularem compressa, albo-flaventia, pulverulenta, pulpa viscidula, fructus exiguos includente repleta.

Species pectorales.

Carvum.

Carum Carvi Linn., herba in pratis imprimis montanis crescens, frequenter culta. Umbelliferae.

Fructus (Semen Carvi) sistunt diachenia oblonga, a latere compressa, circiter quatuor millimetra longa, subcurvata, fusca, mericarpiis quinque costatis, costis aequalibus, filiformibus albidis, lateralibus marginantibus, vittis inter costas solitariis, odoris aromatici, peculiaris, saporis cum quadam amaritie condimentarii.

Aqua carminativa. Spiritus.

Caryophyllus.

Caryophyllus aromaticus Linn., arbor in insulis Moluccis indigena, nunc inter tropicos totius orbis culta. Myrtaceae.

Flores (Caryophylli) ante corollae expansionem decerpti, in aqua ferventi necati et in sole siccati, claviculos referunt unguiculares, obscure ferrugineos, ex hypanthio compositos cylindrico subtetragono, calycis laciniis quatuor lanceolatis erectis coronato, et e corolla tetrapetala clausa, sphaerulae minutae forma.

Sint caryophylli obscure ferruginei, ponderosi, odoratissimi, saporis acri-aromatici, triti oleum aethereum sudantes.

Acetum aromaticum. Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum.

Cascarilla.

Croton Eluteria Swartz, frutex arborescens in insulis Antillanis, praesertim Bahamensibus crescens. Euphorbiaceae.

Cortex sistit fragmenta canaliculata vel semiconvoluta, ad duo millimetra usque crassa, peridermate tenui, extus candicante, rimis decussatis sulcato, saepe jam partim delapso; cortice interiore extus pariter rimoso, crassiore, coloris ex rubenti fusci, fractura cornea, in segmento transverso radiatim striato, radiis ad fasciculos cuneatos congestis. Odor peculiaris aromaticus, sapor aromatico-pungens, haud grate amarus. Accensus fumum spargit moschi odore gravem. Rejice ramos teneriores cortici interdum admixtos.

Centaurium.

Erythraea Centaurium Pers., planta biennis indigena in silvaticis montanis vulgaris. Gentianeae.

Herba cum summitatibus floridis (Herba Centaurii), caule simplici, angulato, foliis oppositis, sessilibus, ovalibus et ovato-lanceolatis, obtusis, integerrimis, trinerviis, raro quinquenerviis, glabris, cymis fasciculatis terminalibus, e floribus compositis pentameris, calyce tubuloso, corolla infundibuliformi rubella praeditis. Odor nullus, sapor admodum amarus. Colligatur herba cum floribus perfecte apertis, antheris pulvere emisso in spiram contortis.

Extractum. Species amaricantes. Tinctura amara.

Cera alba.

Frusta fragilia, in strato tenuiori diaphana, sint sub manus calore plastica, minime lubrica, in aqua sub temperatura 63—64° liquescant, quin spumam ejiciant vel sedimentum deponant. Pondus spec. = 0.968.

Parafino adulterata et liquationis gradum et pondus specificum imminutum exhibet, ita ut cera, quae in spiritu vini pond. spec. 0·955 (38%) non submergit et infra 61° liquescit, hoc corpore inquinata censeri possit. Admixtum acidum stearicum proditur emulsione densa, quam cerae rasura exhibet, si cum ammonia duplo volumine aquae destillatae diluta conquassatur. Cera genuina hoc liquido fere intacta manet.

Ceratum Cetacei. Emplastrum soponatum. Unguentum emolliens. Unguentum Plumbi acetici. Unguentum pomadinum. Unguentum simplex.

Cera flava.

Sit fracturae granulosae, parum tenax, sub manus calore mollescens, odoris mellei, sub temperatura 60—62° liquescat, caeterum ut cera alba se praebeat.

Ceratum fuscum. Emplastra. Unguenta.

Ceratum Cetacei.

Emplastrum Spermatis Ceti.

Rpe: **Cerae albae**
Cetacei
Olei amygdalarum *āā grammata centum.* 100

Leni igne colliquefacta et colata effunde in capsulas chartaceas.

Sit coloris albi, minime rancidum.

Ceratum fuscum.

Unguentum fuscum.

Rpe: **Emplastri diachylon simplicis**
grammata ducenta et quinquaginta. 250

Coque sub perpetua agitatione, donec massa colorem nigro-fuscum acceperit, dein adde

Cerae flavae
Sebi ovilis *āā grammata septuaginta quinque,* 75
Axungiae Porci
grammata centum et viginti quinque. 125

Humido consumto effunde in tabulas.

Cetaceum.

Sperma Ceti.

Physeter macrocephalus Linn., incola oceani indici et pacifici. Cetacea.

Substantia animalis pinguis sui generis, in cavis occipitis ductibusque subcutaneis dorsalibus contenta, elotione a sanguine depurata et ab oleo adhaerente liberata. Sistit massas irregulares, albissimo-nitentes, lamellosas, subpellucidas, tactu lubricas, friabiles, odoris et saporis fere expertes, pond. spec. = 0·94 usque ad 0·95, calore + 45° usque 50° liquescentes, in spiritu vini calido et aethere solubiles. Cetaceum flavum rancidum rejiciatur.

Ceratum Cetacei. Unguentum emolliens.

Chamomilla romana.

Anthemis nobilis Linn., in Europa meridionali indigena, apud nos frequenter culta. Compositae.

Capitula (Flores Chamomillae romanae) plerumque plena, floribus plerisque ligulatis albis, tubulosis, in centro paucissimis flavis, involucri pauciserialis squamis imbricatis lanuginosis, receptaculo conico, paleis cymbiformibus, duplicato-serratis obsito. Odor peculiaris, sapor aromatico-amarus.

Aqua carminativa.

Chamomilla vulgaris.

Matricaria Chamomilla Linn., inter segetes et in ruderatis passim crescens. Compositae.

Anthodia (Flores Chamomillae vulgaris) radiata, peranthodio imbricato, receptaculo conico, nudo, cavo, flosculis radii ligulatis, albis, disci minimis, tubulosis, flavis, pappo nullo; odoris vehementis, peculiaris, saporis aromatico-amari. Ne confundantur cum floribus Pyrethri inodori *Sm.*, Anthemidis arvensis et Cotulae *L.* Anthodia majora et inodora Pyrethri inodori et Anthemidis arvensis receptaculo convexo medulloso, in ultima praeterea paleaceo, anthodia foetida Cotulae receptaculo medulloso, paleis obsito sunt instructa.

Aqua. Emplastrum de Meliloto. Tinctura.

Chelidonium.

Chelidonium majus Linn., planta perennis in locis umbrosis humidis et ruderatis pinguibus Europae totius crescens. Papaveraceae.

Tota planta recens succo croceo, amaro-acri turget; ramis nodosis, pilosiusculis; foliis sublyratis, subtus subglaucis, praesertim in nervis pubescentibus, laciniis rotundatis, lobato-crenatis; floribus umbellatis, tetrapetalis, luteis.

Herba recens brevi ante anthesin ad extractum conficiendum colligenda.

Extractum.

China.

Cortices varii arborum diversarum Cinchonae specierum. Pharmacopoea sibi adjunxit sequentes:

1. Cortex Chinae Calisayae.

Cortex Chinae regius.

Cinchona Calisaya Weddell, arbor in Andibus Boliviae et Peruviae australis indigena, nunc in India orientali culta. Rubiaceae.

Liber trunci planiusculus, unum ad duo centimetra crassus, e rufo flavus, in segmento transverso cellulis fibrosis intra parenchyma dissociatis, sed radiatim ordinatis, extus lacunis superficialibus, magnis, leviter conchatis, argute marginatis vel saepe partimque rhytidomatis squamis duris instructus, e stratis alternatim obscurioribus et pallidioribus formatus, fractura aequaliter brevissime rigideque fibrata, superficie intima levi, ob cellulas fibrosas exsertas micante. Odor levissimus coriarius, sapor peramarus. Cortex Chinae regius sic dictus planus, China regia sine epidermide.

2. Cortex Chinae fuscus seu griseus.

Cortex peruvianus.

Cinchona micrantha Ruiz et Pav., *Cinchona Uritusinga et macrocalyx Pav.*, *Cinchona Condaminea Humb.* et aliae Cinchonae species in Andibus peruvianis et aequatorialibus obviae. Rubiaceae.

Cortex ramorum ad tria millimetra fere crassus, in frustis convolutis a pennae anserinae ad digiti minoris crassitiem, strato medio circulo resinoso fere nigro, fractura extrorsum laevi, introrsum fibrata. Adhibeantur cortex de **Huanuco** dictus, coloris cinnamomei, superficie hinc inde alba, rimis longitudinalibus frequentibus, transversis paene nullis, et cortex sic dictus

de Loxa, coloris fusci, superficie cinerea, rimis transversis frequentibus, remotiusculis. Odor peculiaris, modicus, sapor amaricans, subadstringens cum aliquo aromate. Rejiciantur cortices deterioris conditionis, superficie laevissima aut squamosa rugosa, coloris hepatici aut extus nigricantis, circulo obscuro intracorticali deficiente.

Extractum.

3. Cortex Chinae ruber.

Cinchona succirubra Pavon, arbor in Andibus reipublicae aequatorialis indigena, in India orientali culta. Rubiaceae.

Frusta plana vel subcanaliculata, dimidium ad duo centimetra crassa, rhytidomate obscure ex fusco rubro, verrucis ovalibus obtecto, frequenter per longitudinem sulcato aut suberoso aut duro; libro crasso ex subfusco rubro, fibroso, fractura assulatim fibrata, in segmento transverso intra parenchyma cellulis fibrosis radiatim seriatis, saporis valde amari, adstringentis, haud ingrati. Ne commutetur cum cortice chinae rubiginosae magis fibroso coloris subaurantiaci.

Cortices chinae modo enumerati sequenti tentamini chemico subjecti basium propriarum in 100 partibus praebeant minimum:

partes	2·5	cortex	chinae	ruber,
„	2	„	„	regius,
„	1	„	„	fuscus.

Corticis chinae rubri sive regii pulverati grammata 20, chinae fusci grammata 40 intime misceantur cum calcii oxydati grammatibus 5 (sive grammatibus 10 pro cortice chinae fusco) antea cum decupla quantitate aquae communis extincti. Miscellam leni calore siccatam immitte in cucurbitam et addita decupla spiritus vini 90% quantitate coquendo extrahe. Residuum, quod remanet, binis vicibus cum eadem spiritus vini fervidi quantitate perfecte exhauriatur.

A liquoribus commixtis et addito acido sulfurico diluto acidulis post filtrationem spiritum abstrahe, dein liquorem residuum in balneo aquae ad exiguum volumen evapora. Sex circiter horis lapsis solutionem acidam filtra, filtrum elue et liquori obtento adde natrii hydrooxydati soluti q. s. ad perfectam praecipitationem. Praecipitatum filtro noti ponderis collectum optime, sed caute elue et sicca. Ejus pondus ex cortice chinae rubro obtentum sit minimum 0·5, ex caeteris chinae speciebus 0·4 grammatis.

Chinidinum sulfuricum.

Sulfas Chinidini.

Crystalli aciculares, tenuissimae, decolores, saporis amari, in aqua facilius quidem quam chininum sulfuricum, sed vario gradu solubiles; pars una sulfatis exposcit 100 usque 300 partes aquae sub temperatura 15°. Solutio aquosa saturata et ammonia praecipitata ad perfectam praecipitati solutionem ultra decuplam quantitatem ammoniae exposcit. Solutio kalii jodati concentrata in solutione chinidini sulfurici praecipita-

tum album granulosum demittit, quod in 1250 partibus aquae sub temperatura 15° solvitur.

Sit ex integro combustibile, acido sulfurico concentrato solvatur, quin nigrescat.

Chininum.

Chinium. Quinia.

Massa structurae vix crystallinae, alba, friabilis, saporis peramari, sub temperatura 120° liquescit, solvitur in 400 circiter partibus aquae frigidae, in omni fere proportione in spiritu vini 90%, in 60 partibus aetheris, in 2 chloroformii, in 200 glycerini.

Chininum aqua chlori solutum addita ammonia praecipitatum viride deponit, quod superabundante ammonia eodem colore solvitur.

Chininum bisulfuricum.

Bisulfas Chinii. Chininum sulfuricum neutrum.

Rpe: **Chinini sulfurici** *grammata viginti,* 20
solve in

Acidi sulfurici diluti
grammatibus quatuordecim, 14

Aquae destillatae *grammatibus ducentis.* 200

In loco tepido evaporando et subinde refrigerando solutionem in crystallos redige.

Sint crystalli prismaticae, rectangulares, sub temperatura 13° in partibus 11 aquae solubiles, aëre fatiscentes, saporis amari non acidi. Solutio aquosa caeruleo varium colorem praebet.

Chininum hydro-chloricum.

Chinium hydro-chloricum. Murias Chinini. Chininum muriaticum. Quiniae Murias.

Rpe: **Chinini sulfurici** *grammata quadraginta,* 40
solve in
Aquae destillatae bullientis *grammatibus mille quingentis.* 1500
Instilla solutionem fervidam ex
Baryi chlorati *grammatibus undecim,* 11
Aquae destillatae *grammatibus triginta* 30
paratam.

Fac baryum sulfuricum in loco tepido subsidere, dein filtrando separa et filtrum elue. Liquores filtrati sub temperatura 40° non excedente evaporent et subinde refrigerando in crystallos redigantur, quas iterata crystallisatione depures.

Crystalli sunt albae, sericeo-nitentes, aciculares, admodum amarae, in aquae partibus 24 nec non in 9 partibus chloroformii solubiles.

Sint a chinino sulfurico, baryo aliisque inquinamentis immunes.

Chininum sulfuricum.

Chinium sulfuricum. Sulfas quinicus. Quiniae Sulfas. Chininum sulfuricum basicum.

Crystalli aciculares, tenuissimae, molles, sericeo-nitentes, saporis admodum amari, in aëre sicco et leni

calore fatiscentes, in 740 circiter partibus aquae frigidae, in 30 bullientis, in 60 partibus spiritus vini 90% solubiles.

Gramma dimidium chinini sulfurici in tubo probatorio intime mixtum cum grammatibus quinque aetheris addito grammate uno et dimidio ammoniae post conquassationem praebeat liquorem, qui subsidendo in stratum aethereum et aquosum, utrumque limpidum, separetur. Acido sulfurico humectatum colorem non mutet. Ex integro comburat.

Chloroformium.

Rpe: **Calcii hypochlorosi** *grammatum quinque millia,* 5000
Calcii oxydati aqua antea extincti
grammatum duo millia. 2000

Immittantur in apparatum destillatorium, qui continet

Aquae communis *grammatum viginti millia.* 20.000

Intime mixta calefiant ad temperaturam 40—45°, dein admisceantur

Spiritus Vini 90% *grammata septingenta quinquaginta* 750

Apparatu rite clauso caute temperatura ad 60° evehatur cavendo, ne 70° excedat. Quodsi destillatio cessaverit et guttulae chloroformii non amplius fundum excipuli petant, separa stratum aquosum excipuli a strato chloroformium continente hocque iteratis vicibus quassando aqua elue. Chloroformium aqua lotum et ab hac separatum stet super calcio oxydato in frustula tuso per 24 horas interdum agitando in loco obscuro

et frigido. Demum chloroformium ope calcii chlorati fusi perfecte exsicca et ex balneo aquae sub temperatura 65° non excedente destilla in excipulum perfecte siccatum.

Servetur in lagenis optime clausis in loco a luce remoto.

Sit limpidum, decolor, e palma manus prompte avolet, neve odorem empyreumaticum nec fermentoleo similem relinquat. Cum aqua quassatum huic reactionem acidam ne tribuat.

Pond. spec. = 1·49—1·5. Punctum ebullitionis 63·5°.

Cum acido sulfurico concentrato puro mixtum decolor maneat. Rejiciendum est chloroformium, quod sub temperatura 64° in balneo aquae non ex integro destillat.

Cina.

Santonicum.

Artemisia Contra Vahl et Artemisia Vahliana Kostel., plantae in Oriente indigenae. Compositae.

Flores (Semen Cinae, Semen Santonici, Semen Contra) sistunt anthodia clausa, pauciflora, oblongo-prismatica, coloris subviridis, subflavi, circiter duo millimetra longa, glabra; peranthodii phyllis imbricatis, carinatis, membranaceo-marginatis, dorso glandulis minutis, aureis inspersis, exterioribus ovatis, interioribus oblongis, quoad magnitudinem cedentibus; saporis et odoris proprii, nauseoso-subcamphoracei. Flores sic dicti levantici adhibeantur, rejectis floribus Cinae indicis aeque ac barbaricis, quorum ulteriores tomento

cinereo, priores magnitudine et glandulis majoribus ab officinalibus distinguuntur.

Cinnamomum.

Cinnamomum aromaticum Nees, arbor in China et insulis Sundaicis indigena. Laurineae.

Cortex (Cortex Cassiae cinnamomeae) ramorum interior simpliciter convolutus, ad sesqui millimetrum crassus, coloris e flavo fusci, fibris sparsis in superficie parum conspicuis, pallidioribus, fractura aequabili, odoris peculiaris, grate aromatici, saporis subdulcis, aromatici.

Aqua aromatica spirituosa. Aqua Cinnamomi simplex et spirituosa. Decoctum Zittmanni mitius. Electuarium aromaticum. Species amaricantes. Spiritus aromaticus. Syrupus. Tinctura. Tinctura Absinthii composita.

Citrus.

Citrus medica Linn., arbor in India orientali indigena, in Europa meridionali culta. Aurantiaceae.

Cortex fructus Citri (Cortex Citri), e fructibus maturis detractus et siccatus, e strato exteriori punctato, rugoso, vesiculis oleo aethereo foetis scatente, luteo-citrino, aromatico, subamaro et ex interiore spongioso, albo, tenui constans. Ulteriore orbatus sistit **Flavedinem corticis Citri.** Odor grate aromaticus, sapor subamarus.

Aqua carminativa. Decoctum Zittmanni mitius. Spiritus aromaticus.

Cochlearia.

Cochlearia officinalis Linn., herba biennis in oris maritimis Europae borealis imprimis crescens, apud nos ad lacus imo et monticola, caeterum non raro culta. Cruciferae.

Folia recentia radicalia petiolata, cordato-rotundata, subintegerrima, caulina ovato-oblonga, dentata, omnia glabra, subsucculenta, nitide viridia; trita acredinis volatilis, manducata saporis urentis, amari.

Spiritus.

Coffëinum.

Caffëinum. Thëinum.

Crystalli aciculares, sericeo-nitentes, saporis amariusculi ingrati, caute calefactae liquescunt, demum avolant, residui nihil relinquentes, solvuntur in aqua, spiritu vini, aethere et chloroformio.

Cum tribus usque quatuor partibus acidi nitrici ad ebullitionem calefactae solutionem flavam praebent, quae leni calore evaporata pauxillo ammoniae addito colorem purpureum gignit.

† Colchicinum.

Pulvis albo-flavescens, subinde crystallinus, saporis amari perseverantis, humiditate attracta brunescit, in duabus partibus aquae nec non in spiritu vini, aethere, chloroformio et alcohole amylico solubilis. Calefactum liquescit et decomponitur, sine residuo deflagrat.

Per acidum nitricum concentratum pulvis colore primum violaceo, dein rubro, denique flavo tingitur; ejus solutio aquosa eodem acido tentata ab initio flavum, postea profunde rubrum colorem induit.

Acido sulfurico concentrato puro tractatum flavescit, addito acido nitrico color flavidus in caeruleum, dein viridem, tunc purpureum, denique flavum mutatur.

Colchicum.

Colchicum autumnale Linn., planta in pratis subsilvaticis ubique apud nos crescens. Melanthaceae.

Semina perfecte matura, subglobosa, ad duo millimetra crassa, dura, cornea, extus fusca, intus pallide grisea, areolato-rugosa, hilo basilari deraso, saporis admodum amari, insigniter acris. Semen omni anno denuo colligendum caute servetur.

† *Tinctura.* † *Vinum.*

Collyrium adstringens luteum.

Rpe:	**Ammonii chlorati**	*gramma unum et centigrammata viginti quinque,*	1·25
	Zinci sulfurici	*grammata duo et dimidium,*	2·50
	Aquae destillatae	*grammata ducenta,*	200
	Camphorae	*centigrammata septuaginta quinque*	0·75
soluta in			
	Spiritus Vini 70%	*grammatibus quadraginta,*	40
adde			
	Croci	*centigrammata viginti.*	0·20

Digere saepius conquassando per viginti quatuor horas et filtra.

Colocynthis.

Cucumis Colocynthis Linn., planta in Oriente indigena et culta. Cucurbitaceae.

Fructus subglobosus, mali magnitudine, siccatus et decorticatus sistit substantiam spongiosam, levissimam, albam, sexlocularem, amarissimam, inodoram, includentem semina plura, ovata, utrimque compressa, albida vel fusco-flavescentia. Seminibus remotis adhibeatur. Colocynthides octoloculares, minus amarae, fuscescentes rejiciantur.

† *Extractum.*

Conium.

Conium maculatum Linn., planta biennis nostras, in hortis et ruderatis vulgaris. Umbelliferae.

Herba (Herba Cicutae) incipiente florescentia colligenda, ubique glabra; foliis pluries pinnati-partitis, basi vaginantibus, inferioribus fistuloso-petiolatis, superioribus sessilibus, suboppositis; laciniis ultimis ovali-oblongis, inciso-serratis, mucronulatis; floribus umbellatis, parvis, albis; odore peculiari nauseoso. Herba siccata vix odora liquore kalii hydro-oxydati humectata herbae recentis odorem recuperat; caeterum a caule fusco vel rubro-maculato ramisque validioribus liberata tum recens adhibenda, tum siccata in vase bene clauso nec ultra annum servanda.

Emplastrum. † *Extractum.*

Coriandrum.

Coriandrum sativum Linn., planta Europae australis, apud nos culta. Umbelliferae.

Fructus (Semen Coriandri) sistunt schizocarpia parva, globosa, calyce coronata, duo ad tria millimetra crassa, pallide ochroleuca, intus excavata, mericarpiis arcte connatis, novem costatis, costis quinque depressis flexuosis, quatuor magis prominentibus carinatis, vittis inter costas nullis, in commissura geminis; odoris aromatici, saporis subdulcis.

Aqua carminativa. Spiritus aromaticus.

Crocus.

Crocus sativus Linn., planta in Oriente indigena, nunc in variis Europae et Asiae partibus culta. Irideae.

Stigma siccatum, circiter tria centimetra longum trifidum, tubulosum quidem, sed subcaniculato-compressum, sursum sensim dilatatum, laciniis cuneiformibus, coloris saturate aurantiaci, odoris fragrantis, subnarcotici, saporis aromatico-subamari, aquae pigmentum intense rubro-luteum facillime cedens.

Servetur a luce remotus; cave ab adulterato.

Collyrium adstringens luteum. Emplastrum oxycroceum. Massa pilularum Ruffi. † *Tinctura Opii crocata.*

Cubeba.

Cubeba officinalis Miquel, frutex in India orientali spontaneus et cultus. Piperaceae.

Fructus (Cubebae) sistit drupam siccatam, aridam, subglobosam, pedicello sursum incrassato, quatuor ad sex millimetra longo innixam, pericarpio tenui instructam, reticulatim rugosam rugis pentagonia vel hexagonia regularia formantibus, monospermam, semine cum pulpa exsiccata cohaerente, duro, fragili. Odor fragrans, aromaticus, sapor piperinus.

Extractum.

Cuprum aluminatum.

Lapis divinus.

Rpe: **Cupri sulfurici**
Kalii nitrici
Aluminis *āā grammata sedecim.* 16

Contusa et bene mixta liquefiant leni calore in vase cupreo aut porcellaneo. Refrigeratae massae in pulverem tritae admisce

Camphorae pulveratae
gramma unum. 1

Serva vase bene clauso.

Massa ex albo caerulescens sit odoris camphorati insignis.

Cuprum sulfuricum.

Sulfas Cupri crystallisatus. Vitriolum caeruleum.

Crystalli cyaneae, rhomboideo-prismaticae, aëre paululum fatiscentes, aqua facile solubiles.

Solutio aquosa nec ammonia excedente praecipitatum deponat, nec natrio hydro-oxydato alcalina facta et dein filtrata ammonio hydro-sulfurato turbetur.

Cuprum aluminatum.

Cydonia.

Cydonia vulgaris Pers., arbor in Oriente indigena, apud nos frequenter culta. Pomaceae.

Semina ovata, acutiuscula, angulata vel compressa, subtriquetra, per plura conglutinata, ad sex millimetra longa, integumenti cartilaginei, fusci, opaci, strato extimo albido opaco, e cellulis composito mucum copiosum includentibus, quae humore hausto turgescentes et mox diruptae mucilaginem copiosam emittunt.

Mucilago.

Decoctum Zittmanni fortius.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

Rpe: **Radicis Sarsaparillae consciss.** *grammata viginti,* 20
digere cum

Aquae communis *s. q.*

per horas viginti quatuor additis intra sacculum linteum

Pulveris Sacchari
„ „ **Aluminis** *āā grammate uno,* 1
„ „ **Hydrargyri chlorati mitis** *decigrammatibus octo,* 0·8
„ „ **Cinnabaris facticiae** *decigrammatibus duobus,* 0·2

dein addita sufficiente aquae quantitate coque per duas horas.

Sub finem coctionis adde

Fructuum Anisi vulgaris
„ „ **Foeniculi, singulorum contusorum**
āā decigrammata octo, 0.8
Foliorum Sennae *grammata quinque,* 5
Radicis Liquiritiae *grammata duo et semis.* 2·5

Exprime et per pannum cola.
Colatura sit ponderis
grammatum quingentorum. 500

Decoctum Zittmanni mitius.

Decoctum Sarsaparillae compositum tenue.

Rpe: **Radicis Sarsaparillae conscissae**
grammata decem, 10

additis speciebus e decocto fortiori residuis coque cum
Aquae communis *sufficiente quantitate*
per duas horas. Sub finem coctionis adde

Corticis Citri
Seminum Cardamomi
Corticis Cinnamomi
Radicis Liquiritiae, singulorum conscissorum et contusorum *āā decigrammata quinque.* 0·5

Exprime et per pannum cola.
Colatura sit ponderis
grammatum quingentorum. 500

† Digitalinum depuratum.

Rpe: **Digitalini sic dicti Germanici**
grammata decem, 10

in mortarium porcellaneum sive vitreum immissa subige cum

Spiritus Vini 70%

Aquae destillatae *āā grammatibus quinque.* 5

Pultem transfer in vas bene claudendum, cui insunt

Chloroformii *grammata quindecim.* 15

Miscella stet saepius conquassando per 12 horas, dein chloroformium a liquore aquoso separa, cui denuo adde

Chloroformii *grammata quindecim* 15

et sic ex liquore aquoso digitalinum in chloroformio solubile perfecte extrahe.

Solutio chloroformii filtrata lenissimo calore evaporet et residuum juxta acidum sulfuricum anglicanum perfecte exsiccetur.

Sit massa submollis, tenuibus stratis pellucida, coloris e flavo brunei, saporis amarissimi persistentis, reactionis nullius. In aqua, spiritu vini et chloroformio ex integro solvatur. Sine residuo comburat.

† Digitalis.

Digitalis purpurea Linn., herba biennis in montibus apricis Europae mediae, exceptis terris austriacis, passim crescens, in hortis saepe culta. Scrofularineae.

Folia ovata vel ovato-lanceolata, acutiuscula, margine crenata, rugosa, reticulato-venosa, tactu mollia, utrinque pubescentia, subtus pallidiora et densius pilosa, infima longe petiolata, caulina inferiora in petiolum decurrentia, suprema sessilia, odoris nullius, saporis peramari, nauseosi. Colligenda e planta florescenti, sponte

crescenti, nec culta; sedulo siccanda, in vasis luci imperviis nec ultra annum et caute servanda.

† *Tinctura.*

Dulcamara.

Solanum Dulcamara Linn., frutex scandens circa sepes in humidis passim crescens. Solanaceae.

Caules (Stipites Dulcamarae) flexuosi, saepe torti, tenaces, quatuor ad octo millimetra crassi, longitudinaliter sulcati et rugosi, obsolete pentagoni, plus minus verrucosi, saepe fistulosi, peridermate e subviridi vel e subfusco flavo, cortice tenui, primum laete viridi, tandem pallescente, facile separabili, ligno albido-luteo medullae albae vestigia includente. Odor recentium valde ingratus siccatione evanescit, sapor primum amarus, deinde dulcis, diu faucibus inhaerens. Colligendi caules biennes vel triennes primo vere vel sero autumno.

Elaeosacchara.

Rpe: **Sacchari pulverati** *grammata duo.* 2
Misce terendo cum
Olei aetherei *gutta una.*

Electuarium aromaticum.

Electuarium stomachicum.

Rpe: **Pulveris foliorum Menthae piperitae**
„ „ „ „ **Salviae** *āā grammata centum,* 100
„ „ **radicis Angelicae**

Pulveris rhizomatis Zingiberis
āā grammata viginti, 20
„ „ **corticis Cinnamomi**
„ „ **Caryophyllorum**
„ „ **Nucis moschatae** *āā grammata decem,* 10
Mellis depurati *q. s.,*
fiat leni calore in balneo aquae electuarium.

Electuarium aromaticum cum Opio.

Electuarium anodynum. Theriaca.

Rpe: **Electuarii aromatici** *grammata centum et viginti,* 120
Opii *gramma unum.* 1
Misce.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

Electuarium lenitivum.

Electuarium aperiens.

Rpe: **Pulpae Tamarindorum depuratae**
grammata trecenta, 300
Roob Sambuci *grammata centum,* 100
Pulveris foliorum Sennae
„ „ **Kalii hydro-tartarici**
āā grammata quinquaginta, 50
Mellis depurati *q. s.,*
fiat leni calore in balneo aquae electuarium.
Loco frigido, sicco serva.

Elemi.

Resina Elemi.

Icica Icicariba DC., verosimiliter arbor, cui Elemi debetur, in Brasilia indigena. Burseraceae.

Resina in massis compactis aut solidis aut mollibus sub varia forma, potissimum cylindri vel placentae obvia, subpellucida, pallide e subviridi citrini coloris, odoris peculiaris foeniculace saporis balsamici, amariusculi, leni calore liquescens, admodum inflammabilis, in spiritu vini bullienti solubilis. Ab immixtis saepe resinae pini particulis distinguitur odore istarum terebinthinaceo, colore magis flavo.

Emplastrum anglicanum.

Emplastrum glutinosum.

Rpe: **Ichthyocollae minutim conscissae** *grammata centum,* 100

solve in

Aquae destillatae calidae *grammatum duobus millibus,* 2000

adde

Spiritus Vini 90% *grammata centum,* 100

Mellis depurati *grammata decem,* 10

et cola per linteum.

Solutionem leni calore liquefactam penicilli ope in telam bombycinam laevigatam unius ulnae bene expansam sensim et aequabiliter inducas, post quamlibet inductionem exspectando, donec tela penitus sicca fuerit.

Telae superficies opposita illiniatur mixtura ex

Tincturae Benzoës *partibus quatuor,*

Balsami peruviani *parte una.*

Tela bene siccata in frusta secetur.

Rigidum esse oportet et madefactum cuti bene adhaereat.

Emplastrum Cantharidum.

Emplastrum vesicatorium ordinarium.

Rpe: **Cerae flavae**

Terebinthinae communis

āā grammata centum, 100

Olei Olivarum *grammata quinquaginta.* 50

Colliquefactis et colatis admisce

Cantharidum pulveratarum

grammata centum et viginti quinque 125

in balneo aquae per horam cum spatula agitando.

Massa refrigerata praebet emplastrum.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Emplastrum Euphorbii. Emplastrum vesicatorium perpetuum.

Rpe: **Terebinthinae communis**

Mastiches pulveratae

āā grammata viginti. 20

Leni calore liquefactis agitando admisce

Pulveris Cantharidum
grammata decem, 10
„ „ **Euphorbii** *grammata quinque.* 5
Fiat emplastrum.

Emplastrum Cerussae.

Emplastrum album.

Rpe: **Emplastri diachylon simplicis**
grammata quadringenta, 400
Olei olivarum *grammata quadraginta.* 40
Colliquefactis agitando admisce
Plumbi carbonici in pulverem triti
grammata quadringenta. 400
Fiat emplastrum.

Emplastrum Conii maculati.

Emplastrum Cicutae.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata ducenta quinquaginta,* 250
Cerae flavae *grammata quingenta,* 500
Terebinthinae communis
grammata quinquaginta. 50
Colliquefactis et colatis admisce agitando
Herbae Conii maculati exsiccatae pulveratae
grammata centum. 100
Fiat emplastrum.

Emplastrum de Meliloto.

Rpe: **Colophonii** *grammata ducenta,* 200
Cerae flavae *grammata quadringenta,* 400
Olei Olivarum *grammata ducenta.* 200
Colliquefactis et colatis adde
Ammoniaci pulverati
grammata quinquaginta 50
in **Terebinthinae communis**
grammatibus centum et viginti quinque 125
soluta.
Refrigeratis sub continua agitatione admisce
Pulveris herbae Meliloti floridae
grammata trecenta, 300
„ „ „ „ **Absinthii**
„ „ **florum Chamomillae vulgaris**
„ „ **fructuum Lauri**
āā grammata viginti. 20
Fiat emplastrum.

Emplastrum diachylon compositum.

Emplastrum Plumbi compositum. Emplastrum Litharyri compositum. Emplastrum diachylon gummiresinosum.

Rpe: **Emplastri diachylon simplicis**
grammata mille. 1000
Liquefactis admisce
Ammoniaci pulverati
grammata centum et viginti quinque 125

soluta in

Terebinthinae communis *grammatibus quadraginta,* 40

adde

Cerae flavae *grammata centum et quinquaginta,* 150

Resinae Pini *grammata octoginta.* 80

Colliquefactis et colatis fiat emplastrum.

Emplastrum diachylon linteo extensum.

Sparadrap.

Rpe: **Emplastri diachylon compositi** *grammata ducenta et quinquaginta,* 250

Terebinthinae communis colatae *grammata centum.* 100

Massa colliquefacta supra telam linteam extendatur.

Emplastrum diachylon simplex.

Emplastrum Plumbi simplex. Emplastrum Lithargyri simplex.

Axungiae Porci *grammata mille,* 1000

Plumbi oxydati subtilissime pulverati *grammata quingenta.* 500

Coque sub continua agitatione igne moderato subinde aquae pauxillum inspergendo, donec plumbum oxydatum per unionem chemicam penitus disparuerit, ad justam emplastri consistentiam. Cave, ne sit plumbi oxydati non juncti particulis inspersum.

Emplastrum Hydrargyri.

Emplastrum mercuriale.

Rpe: **Hydrargyri** *grammata centum et triginta* 130
terendo extincta in
Terebinthinae communis
grammatibus septuaginta, 70
misce cum
Emplastri diachylon simplicis
grammatibus quingentis 500
leni igne liquefactis.

In emplastro globuli hydrargyri non sint conspicui.

Emplastrum Minii adustum.

Emplastrum noricum. Emplastrum fuscum.

Rpe: **Olei Olivarum** *grammata sexcenta,* 600
Plumbi hyperoxydati subtilissime pulverati
grammata trecenta. 300

Coque sub continua agitatione, donec colorem nigro-fuscum acceperit, tunc adde
Cerae flavae *grammata quinquaginta.* 50
Colliquefactis et paulum refrigeratis admisce
Camphorae in pauxillo olei olivarum solutae
grammata viginti quinque. 25
Fiat emplastrum.

Emplastrum oxycroceum.

Rpe: **Cerae flavae** *grammata trecenta,* 300
Colophonii *grammata centum.* 100
Colliquefactis, colatis et semirefrigeratis adde

Ammoniaci pulverati
Galbani pulverati *āā grammata sexaginta* 60
in **Terebinthinae communis**
grammatibus sexaginta 60
soluta.

Sub continua agitatione admisce
Pulveris subtilissimi Olibani
„ „ „ „ **Mastiches**
āā grammata centum, 100
„ „ **Croci spiritu vini 70% irrorati**
grammata quinquaginta. 50

Fiat emplastrum.

Emplastrum saponatum.

Emplastrum saponato-camphoratum.

Rpe: **Emplastri diachylon simplicis**
grammata sexcenta, 600
Cerae albae *grammata centum.* 100
Leni igne liquatis adde
Saponis veneti pulverati *grammata quinquaginta.* 50
Subrefrigeratis agitando admisce
Camphorae *grammata decem* 10
in **Olei Olivarum** *grammatibus quadraginta* 40
soluta.

Fiat emplastrum.

Emulsio amygdalina.

Emulsio communis.

Rpe: **Amygdalarum dulcium decorticatarum**
grammata viginti quinque, 25

Sacchari *grammata quindecim.* 15

Contundendo in mortario cum aqua communi redige in massam pultaceam, cui continuata trituratione adde

Aquae communis *tantum,*

ut sit colatura *grammatum ducentorum et quinquaginta.* 250

Eodem modo emulsiones seminum oleo pingui scatentium reliquorum (Cannabis, Cucurbitae, Melonum, Papaveris etc.) parentur.

Emulsio oleosa.

Emulsio olei Amygdalarum. Mixtura oleosa.

Rpe: **Olei Amygdalarum dulcium recentis** *grammata decem,* 10

Pulveris Gummi arabici *grammata quinque.* 5

Bene mixta subigantur terendo cum

Syrupi simplicis *grammatibus decem.* 10

Sub continua agitatione affunde

Aquae communis *grammata ducenta,* 200

ut fiat emulsio.

Euphorbium.

Euphorbia canariensis Linn. et Euphorbia officinarum Linn., plantae in Africa boreali-occidentali et insulis Canariis indigenae. Euphorbiaceae.

Succus lacteus aëre induratus (Euphorbium) occurrit in granis sordide subflavis, globoso-triangularibus, lentis et pisi, raro usque ad avellanae magnitudine, uno

aut duobus foraminibus non raro spinulas includentibus saepe praeditis, diaphanis, friabilibus, inodoris, sapoıis primum perexigui, deinde acerrimi caustici. Euphorbium in aqua et spiritu vini nonnisi ex parte solvitur, pulveratum sternutamentum vehementissimum excitat, hinc pulvis caute parandus.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Extracta.

In parandis extractis summi momenti sunt:

1. Justa divisio vegetabilium, quae pro eorum habitu et textura sive minutim conscindantur, sive in pulverem contundantur, ita ut menstruo adhibito solubilia perfecte exhauriri queant.

2. Quantitas praescripti menstrui, quae parca manu dispensetur, hinc singulis vicibus ne plus, quam ad pultem tenuem formandam opus est, adhibeatur. Soluta exprimendo collige, non diluendo; satius est residuum iteratis vicibus exhaurire.

3. Temperatura. Vegetabilia durante maceratione ne ultra 20, digestione ne ultra 50 gradus Celsianos calefiant.

Cave, ne macerationem in dies protrahas, quo soluta in fermentationem abeunt, sive mucedine corripiuntur.

4. Evaporatio. Liquores singulis operationibus obtenti statim in balneo aquae sub assidua agitatione evaporent. Aquosos ad quartam voluminis partem evapora, dein eos sepone et, si durante refrigeratione limpidi non evaderent, exspecta, donec insolubilia subse-

derint, quibus sive filtratione sive decantatione remotis evaporatio ad justam spissitudinem continuetur.

Ex liquoribus spirituosis vel aethereis menstruum destillatione colligere fas est.

5. Consistentia. Extracta sunt

tenuia = mellis densitate, mellagines,
spissa = quae refrigerata in massam pilularum redigi possunt,
sicca = quae in pulverem conteri possunt.

Ad siccum redigantur extracta jam ad consistentiam spissorum evaporata et super patinas porcellaneas tenui strato expansa in furno siccatorio sub temperatura 40° non excedente.

Extracta sic dicta narcotica sunt spissa servanda. Ut vero in pulveris forma prompte expediri queant, eorum pars una cum aequali pondere sacchari lactis pulverati intime mixta leni calore siccetur. Pondus per exsiccationem deperditum addito saccharo lactis restituatur.

Hujus extracti quantitas duplo major dispensetur, quam quae a medico forma extracti spissi praescripta fuerit.

† Extractum Aconiti.

Rpe: **Tuberum Aconiti siccatorum et pulveratorum** *grammata quingenta,* 500
Spiritus Vini 70% *grammatum tria millia.* 3000

Digere per triduum, tum exprime.

Residuo novitus affunde

Spiritus Vini 70% *grammata mille.* 1000

Post iteratam per viginti quatuor horas digestionem et expressionem liquores commixtos, subsidendo depuratos et filtratos in balneo aquae destillando a spiritu vini libera.

Residuum in balneo aquae evapora ad consistentiam extracti spissi.

Extractum Aloës.

Rpe: **Aloës pulveratae** *grammata quingenta,* 500
Aquae destillatae *grammatum duo millia.* 2000

Macera per aliquot dies, saepius agitando, deinde liquorem subsidendo depuratum et colatum evapora in balneo aquae ad siccitatem.

† Extractum Belladonnae.

Paretur e radice belladonnae siccata et pulverata ut extractum aconiti.

Extractum Calumbae.

Paretur e radice calumbae ut extractum aconiti.

Extractum Cannabis indicae.

Paretur ex herba cannabis indicae conscissa cum spiritu vini 90% ut extractum aconiti.

Extractum Centaurii.

Rpe: **Herbae Centaurii floridae siccatae et conscissae** *grammata quingenta,* 500
Aquae communis calidae *grammatum tria millia.* 3000

Stent per bihorium in dolio, saepius agitentur et dein optime exprimantur. Residuum eidem operationi subjiciatur cum

Aquae communis calidae *grammatibus mille.* 1000

Liquores obtenti ebulliant et per noctem subsidendo depurati per pannum colentur, dein balneo aquae ad extracti spissi consistentiam evaporentur.

Extractum Chelidonii.

Rpe: **Herbae Chelidonii recentis**

grammatum sex millia. 6000

Contunde in mortario lapideo et exprime ope preli.

Succus obtentus in lebete ad lenem ebullitionem incalescat.

Liquorem a faecibus albuminosis coagulatis colando purgatum in balneo aquae ad mellis consistentiam inspissatum immitte in lagenam et adde

Spiritus Vini 70% *quantitatem aequalem.*

Stet saepius agitando per viginti quatuor horas.

Sedimento deposito liquor filtretur, destillatione spiritus abstrahatur et residuum in balneo aquae ad consistentiam extracti spissi evaporetur.

Extractum Chinae fuscae.

Rpe: **Corticis Chinae fusci contusi**

grammata quingenta, 500

Aquae communis fervidae

grammatum sex millia. 6000

Macera per viginti quatuor horas, tum coque per horam. Cola et residuum iterum bis terve cum

Aquae communis *grammatum sex millibus* 6000

coque.

Liquores commixti ebulliant, colentur per pannum et colati evaporentur ad siccum.

† Extractum Colocynthidum.

Paretur e fructibus colocynthidis a seminibus liberatis et conscissis ut extractum aconiti evaporando ad siccum.

† Extractum Conii maculati.

Paretur ex herba conii maculati recenti ut extractum chelidonii.

Extractum Cubebarum.

Paretur e fructibus cubebae contusis ut extractum aconiti evaporando ad consistentiam extracti tenuis.

Extractum Filicis maris.

Paretur e rhizomate filicis maris una cum reliquiis petiolorum degluptis recenter siccato, purgato et contuso ut extractum aconiti evaporando ad consistentiam extracti tenuis.

Extractum Gentianae.

Rpe: **Radicis Gentianae minutim conscissae** *grammata quingenta,* 500

Aquae communis frigidae *grammatum tria millia.* 3000

Macera per viginti quatuor horas, deinde exprime fortiter et residuo affunde

Aquae communis *grammata mille.* 1000

Post iteratam per viginti quatuor horas macerationem et expressionem liquores commixtos, subsidendo depuratos et ad ebullitionem calefactos, deinde per pannum colatos in balneo aquae ad consistentiam extracti spissi evapora.

Extractum Graminis.

Mellago Graminis.

Paretur e rhizomate graminis conscisso ut extractum gentianae evaporando ad consistentiam extracti tenuis.

Extractum Hellebori viridis.

Paretur e rhizomate hellebori viridis siccato ut extractum aconiti.

† Extractum Hyoscyami foliorum.

Paretur e foliis hyoscyami recentibus ut extractum chelidonii.

Extractum Liquiritiae.

Paretur e radice liquiritiae contusa ut extractum gentianae.

Extractum Malatis Ferri.

Extractum Ferri pomati. Extractum Martis cum succo pomorum.

Rpe: **Pomorum acidulorum maturorum contusorum** *grammatum tria millia,* 3000

misce cum

Ferri puri limati *grammatibus quingentis,* 500

digere saepius agitando et aquam evaporatam restituendo in loco tepido per aliquot hebdomadas, donec in massam nigram transierint, quam sacculis linteis inclusam exprime.

Liquorem subsidendo depuratum filtra et in balneo aquae ad extracti spissi consistentiam redige.

Tinctura Malatis Ferri.

† Extractum Nucis vomicae.

Paretur e seminibus nucis vomicae grosse tusis ut extractum aconiti.

† Extractum Opii.

Rpe: **Opii grosse conscissi** *grammata centum,* 100

Aquae destillatae frigidae *grammata octingenta.* 800

Macera saepius conquassando per quadraginta octo horas, deinde liquorem defunde et residuo fortiter expresso adde

Aquae destillatae frigidae *grammata quadringenta.* 400

Post iteratam per viginti quatuor horas macerationem et expressionem liquores commixtos subsidendo depuratos et filtratos in balneo aquae evapora ad consistentiam extracti spissi.

Hoc solve in aquae destillatae frigidae decupla quantitate et liquorem post viginti quatuor horas filtratione a sedimento purgatum in balneo aquae evapora ad siccum.

Extractum Punicae Granati.

Paretur e radicis punicae granati cortice ut extractum aconiti.

Extractum Quassiae.

E ligno quassiae contuso paretur ut extractum chinae fuscae evaporando ad consistentiam extracti spissi.

Extractum Ratanhae.

E radice ratanhae minutim contusa cum aqua destillata paretur ut extractum gentianae evaporando ad siccum.

Extractum Scillae.

E squamis scillae siccatis et minutim conscissis paretur ut extractum aconiti.

† Extractum Secalis cornuti.

Ergotina.

Rpe: **Secalis cornuti contusi** *grammata ducenta,* 200
Aquae destillatae *grammata octingenta.* 800

Macera saepius agitando per viginti quatuor horas, deinde exprime et cum residuo affusa nova aquae destillatae quantitate eandem operationem repete.

Liquores commixtos post sedimentationem decantatos et in balneo aquae ad mellis consistentiam inspissatos immitte in lagenam et adde

Spiritus Vini 70% *triplam quantitatem.*

Stent saepius conquassando per viginti quatuor horas. Sedimento deposito liquor filtretur et in balneo aquae ad extracti spissi consistentiam evaporetur.

Extractum Taraxaci.

Paretur e partibus aequalibus radicis et foliorum taraxaci siccatorum et conscissorum ut extractum centaurii evaporando ad consistentiam extracti tenuis.

Extractum Trifolii fibrini.

E foliis trifolii fibrini siccatis paretur ut extractum centaurii.

Fel Tauri depuratum.

Fel bovinum depuratum.

Rpe: **Felis Tauri recentis** *grammata trecenta,* 300
Spiritus Vini 90% *grammmata quingenta.* 500

Intime mixta stent per duodecim horas in vase clauso; liquorem dein decantatione et filtratione a sedimento separa, cum carbonis animalis quantitate sufficiente conquassa, ut post ebullitionem et filtrationem coloris evadat subflavi. Spiritum vini dein destillando abstrahe, residuum balneo aquae ad siccum evapora.

Sit pulvis subflavus, saporis amari, dulciusculi, in aqua et spiritu vini limpide solubilis.

Ferrum carbonicum saccharatum.

Carbonas Ferri saccharatus.

Rpe: **Natrii carbonici crystallisati** *grammata trecenta,* 300

solve in

Aquae communis *grammatibus mille ducentis.* 1200

Solutioni filtratae et in cucurbita satis capaci ad ebullitionem evectae admisce

Mellis depurati *grammata quinquaginta,* 50

tum partitis vicibus ingere

Ferri sulfurici crystallisati pulverati *grammata ducenta et quinquaginta,* 250

effervescentiam nimiam addita exigua quantitate spiritus vini tempera.

Praecipitatione peracta cucurbita aqua bulliente impleatur et leviter tecta seponatur, donec praecipitatum subsederit. Quo facto liquidum supernatans ope siphonis abstrahatur, sedimentum linteo collectum aqua fervida eluatur, ope preli fortiter exprimatur, demum cum

aequali pondere sacchari pulverati intime mixtum leni calore siccetur et in vase bene clauso servetur.

Sit pulvis coloris cinerei vel viridescentis, cum aqua mixtus solutionem praebeat, quae filtrata et baryo chlorato tentata nonnisi vestigia praecipitati indicet; acido hydro-chlorico diluto cum effervescentia solvatur, solutio acida aqua hydro-sulfurata addita praecipitatum nullum deponat.

Praeparatum coloris subfusci rejiciatur.

Continet $^1/_3$ usque fere $^1/_2$ partem ferri carbonici.

Ferrum jodatum saccharatum.

Jodidum Ferri saccharatum.

Rpe: **Ferri pulverati** *grammata quinque,* 5

immitte in lebetem ferreum et affunde

Aquae destillatae *grammata viginti quinque,* 25

tum sensim adde

Jodi *grammata viginti* 20

et digere subinde agitando, donec color initio rubicundus in subviridem mutatus fuerit.

Liquorem, si opus fuerit, filtratum misce cum

Sacchari *grammatibus centum* 100

et citissime ad siccum redige.

Servetur in lagenis epistomeo vitreo clausis.

Massa coloris flavescentis, ad aërem humescens, saporis styptici atramentacei, aqua perfecte solvatur, solutionis color sit viridis, non fuscus.

Continet in quinque partibus partem unam ferri jodati.

Ferrum lacticum.

Lactas Ferri. Lactas ferrosus.

Rpe: **Lactis vaccini sponte acidifacti**
grammata mille, 1000
Sacchari
Ferri pulverati *āā grammata quinquaginta,* 50
mixta sepone in loco tepido per 8—10 dies, subinde agita et sacchari novam portionem adde, quamdiu ferrum lacticum nascitur, quod pulvere crystallino viridulo deposito dignoscitur. Dein miscella ebulliat et adhuc fervida filtretur in vas bene claudendum.

Quodsi sub refrigeratione crystalli non amplius increscunt, liquorem decanta, crystallos collige, cum parva aquae frigidae quantitate lava, charta bibula involutas lenissimo calore sicca et contritas in pulverem serva in vase bene clauso.

Sit pulvis flavescens, saporis styptici subdulcis, in partibus 48 aquae frigidae, 12 fervidae solvatur, in spiritu vini insolubilis sit.

Ignitus vaporem densum acidum evolvit oxydum ferri relinquens.

Ferrum oxydato-oxydulatum.

Aethiops martialis.

Rpe: **Ferri sulfurici crystallisati**
grammata triginta duo, 32
solve in
Aquae communis *grammatibus triginta duobus,* 32
cui admixta sunt

Acidi sulfurici concentrati puri
grammata sex. 6

Solutioni fervidae instilla

Acidi nitrici crudi *q. s.,*

donec ammonia praecipitatum rubro-fuscum producat.

Solutionem dilue cum decuplo aquae communis fervidae et misce cum solutione

Ferri sulfurici crystallisati
grammatum sedecim 16

in **Aquae communis** *grammatibus sexaginta quatuor.* 64

Liquorem nunc praecipita cum

Ammoniae *s. q.,*

donec praecipitatio cesset. Ebulliat in vase ferreo, ut praecipitatum gelatinosum in pulverem nigrum mutetur.

Post edulcorationem perfectam filtra, sicca et serva.

Sit pulvis niger, subtilissimus, in acidis ex integro solubilis.

Ne sit carbone animali adulteratum.

Ferrum phosphoricum.

Phosphas ferrosus.

Rpe: **Ferri sulfurici crystallisati**
grammata viginti quatuor, 24

solve in

Aquae destillatae *grammatibus centum et quinquaginta.* 150

Solutioni instilla

Natrii phosphorici *grammata triginta duo* 32

in **Aquae destillatae** *s. q.*
soluta ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum optime lotum et siccatum sit pulvis subtilis, sordide caeruleus, in aqua insolubilis, in acido hydro-chlorico facile solvendus.

Ferrum pulveratum.

Limatura Martis alcoholisata.

Sit pulvis subtilissimus, cinereus, metallice nitens; dum in acido hydro-chlorico diluto solvitur, gas hydrosulfuratum ne emittat.

Servetur in vasis bene clausis loco sicco.

Ferrum sesquichloratum crystallisatum.

Ferrum muriaticum oxydatum. Chloretum ferricum.

Rpe: **Ferri in filis** *grammata centum.* 100

Immitte cucurbitae vitreae satis capaci et infunde miscellam ex

Acidi hydro-chlorici concentrati puri *grammatibus quingentis.* 500

Aquae destillatae *grammatibus mille.* 1000

Solutione peracta liquori filtrato inducatur chlorum ex apparatu ad aquam chlori parandam descripto tamdiu, donec pars exemta et ad ebullitionem evecta solutionem kalii hypermanganici non decoloret.

Liquor in balneo aquae in vase porcellaneo evaporet ad consistentiam syrupi, dein in loco frigido vase tecto seponatur ad crystallisationem.

Massam crystallinam in frusta divisam in vase optime siccato et clauso serva.

Sit massa crystallina, coloris flavi, aëre deliquescens, in aqua, spiritu vini et aethere ex integro solubilis. Acidum hydro-chloricum vix redoleat.

Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.

Ferrum sesquichloratum solutum.

Oleum Martis. Liquor Ferri sesquichlorati. Liquor Ferri muriatici seu perchlorici.

Rpe: **Ferri sesquichlorati crystallisati** *partem unam,*

solve in

Aquae destillatae *parte aequali.*

Misce. Sit pond. spec. 1·26.

Ferrum sulfuricum.

Vitriolum Martis. Sulfas ferrosus.

Rpe: **Acidi sulfurici anglicani** *grammata centum quinquaginta,* 150

dilue in cucurbita vitrea cum

Aquae communis *grammatibus sexcentis.* 600

Immitte

Ferri in filis *grammata centum.* 100

Solve sub finem leni adhibito calore. Solutioni filtratae adde

Acidi sulfurici diluti puri

grammata quindecim. 15

Evaporet ad pondus spec. 1·29, demum in loco frigido ad crystallisationem seponatur.

Crystallos enatas primum aqua, dein parva copia spiritus vini ablutas et siccatas serva in vase optime clauso.

Sint coloris laete caeruleo-viridis, in aëre sicco fatiscentes, in aquae frigidae duabus partibus facile solubiles. Solutio addita aqua hydro-sulfurata ne turbetur.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

Filix mas.

Nephrodium Filix mas Rich., planta monticola totius fere Europae. Polypodiaceae.

Rhizoma (Radix Filicis maris) variae longitudinis, ad duo et dimidium centimetra crassum, recens carnosum, exsiccatum spongiosum, leve, intus coloris viridis, paullatim cinnamomei, undique emittens fibras atro-rufas descendentes, ornatum fasciculis vasorum ad annulum interruptum dispositis et tota superficie dense obtectum petiolorum residuis secundis, adscendentibus angulatis, carnosis, extus ex atro fuscis, intus laete viridibus squamisque paleaceis fuscis obsessis, odoris peculiaris, saporis e dulci subamari. Fodiatur autumno; a petiolorum residuis, squamis radicibusque liberatum rhizoma una cum reliquiis petiolorum degluptis caute siccetur et pulvis viridis in vasis bene obturatis luci imperviis servetur. Quotannis denuo colligendum.

Extractum.

Foeniculum.

Foeniculum vulgare Gaertn., Anethum Foeniculum Linn., planta Europae meridionalis, apud nos culta. Umbelliferae.

Fructus (Semen Foeniculi) sistit diachenia subtereti-oblonga, viridescenti-fusca, glabra, circiter quatuor millimetra longa, mericarpiis facile separabilibus, quinque-costatis, costis carinatis, pallidioribus valleculis inter costas solitariis, in commissura geminis. Odor et sapor aromaticus juncta dulcedine.

Aqua. Aqua aromatica spirituosa. Aqua carminativa. Decoctum Zittmanni fortius. Species laxantes St. Germain.

Galbanum.

Gummiresina Galbanum.

Ferula erubescens Boiss., Persidis incola. Umbelliferae.

Gummiresina, ex succo lacteo aëre indurato constans, prostat in granis pisi usque ad avellanae magnitudine, discretis vel in massam e viridi et rubro flavescentem compactis, plus minus diaphanis vel opacis, cerae instar nitentibus, odoris gravis balsamici, saporis cum acredine amari. Solvitur pro parte in spiritu vini; trita cum aqua emulsionem largitur. Eligatur merces purior e granis vel e massis constans, quibus plurima grana pura insunt.

Emplastrum oxycroceum.

Galeopsis.

Galeopsis grandiflora Ehrh., *Galeopsis ochroleuca Linn.*, planta annua in agris et arvis arenosis Germaniae mediae et occidentalis vulgaris. Labiatae.

Herba florida absque radice, minutim conscissa sub nomine Theae Blankenheimensis vel Herbae Liberianae nota. Caulem habet pedalem, erectum, pilis adpressis mollibus pubescentem, ad geniculos haud tumidum, ramosum. Folia opposita, petiolata, basi integerrima, caulina ovata, ramorum ovato-lanceolata, utrinque subsericeo-pilosa, flavescenti-viridia, subtus pallidiora, tactu mollia. Florum verticilli inferiores remoti, superiores approximati. Calyces campanulati viscoso-pilosi, aristato-quinquedentati, corollae bilabiatae, ochroleucae, calyce multo longiores. Herbae tritae odor subbalsameus, sapor subsalso-amaricans, mucoso-fatuus.

Ne confundas cum herba Galeopsidis Ladani *Linn.*, foliis lanceolatis vel oblongo-lanceolatis floribusque minoribus, purpureis, nec cum ea Galeopsidis versicoloris *Curt.*, caule hispido, sub geniculis incrassato distinctis.

Gallae.

Gallae Quercus turcicae sistunt excrescentias e gemmis foliiferis quercuum sempervirentium fruticosarum orientalium, imprimis **Quercus infectoriae** *Oliv.*, ictu Cynipis Gallae tinctoriae *Oliv.* laesis nascentes, plus minus globosas, verrucoso-echinatas, ponderosas, duras, saepe foramine praeditas, coloris e subviridi cinerei,

modo obscurioris, modo pallidioris, manducatas adstringentes.

Rejiciantur gallae leves, spongiosae, laeves sic dictae germanicae.

Gelatina Caragaheen.

Rpe: **Caragaheen** *grammata quinque,* 5
coque cum
Aquae communis *grammatibus trecentis* 300
ad colaturam *grammatum triginta,* 30
in qua per linteum fortiter expressa solve
Sacchari *grammata decem.* 10
Refrigerando fiat gelatina ponderis
grammatum quadraginta. 40
Ex tempore paranda.

Gelatina Lichenis islandici.

Rpe: **Lichenis islandici aqua frigida bene loti**
grammata decem, 10
coque in
Aquae communis *grammatibus trecentis* 300
ad colaturam *grammatum sexaginta,* 60
deinde solve
Sacchari *grammata decem,* 10
leni calore inspissa ad pondus
grammatum quadraginta. 40
Frigefacta in gelatinam coëat.
Ex tempore paranda.

Gelatina Lichenis islandici pulverata.

Rpe: **Gelatinae Lichenis islandici** *q. v.*

In patina porcellanea sub continua agitatione inspissatam et deinde in furno siccatam redige in pulverem. Serva in vase vitreo, optime clauso.

Gelatina Liquiritiae pellucida.

Rpe: **Radicis Liquiritiae decorticatae**
grammata quadraginta, 40
contusa infundantur cum
Aquae communis *grammatum tribus millibus,* 3000
in colatura solve
Gummi arabici *grammata mille,* 1000
Sacchari *grammata octingenta.* 800

Solutio iterum colata leni igne evaporetur ad dimidium. Deinde spuma et pellicula supernatante accurate detractis adde

Aquae Aurantii florum
grammata quadraginta. 40

Massam infunde in capsulas chartaceas et siccam in frustula minora scinde.

Sit diaphana, fusco-flava.

Gentiana.

Gentiana lutea Linn. et Gentiana pannonica Scop., plantae in pratis alpinis et subalpinis Europae mediae spontaneae. Gentianeae.

1. **Radix Gentianae luteae** seu majoris sistit plerumque segmenta diversae magnitudinis, plerumque longitudinaliter secta, rugosa, rugis annularibus approximatis, extrorsum subflava vel e subrufo fusca, introrsum ex rufo vel ex aurantiaco subfusca, exsiccata fragilia, saepe spongioso-porosa, fractura aspera; cortice tenui, per annulum saturatius tinctum a ligno crasso, carnoso separato.

2. **Radix Gentianae rubrae**, e Gentiana **pannonica** *Scop.* in alpibus nostris et in carpathis collecta, occurrit in segmentis integris, annulis transversis, superne obsoletis vel nullis, longitudinaliter rugosis, profundius fusco coloratis.

Odor utriusque radicis debilis, sapor primum subdulcis, deinde amarissimus, faucibus diu haerens.

Extractum. Species amaricantes. Tinctura Absinthii composita. Tinctura amara.

Globuli martiales.

Rpe: **Ferri pulverati** *grammata quadraginta,* 40
Kalii hydro-tartarici pulverati
grammata ducenta. 200

Misce in sartagine ferrea cum
Aquae communis *s. q.,*
ut fiat massa pultiformis.

Digere saepius agitando et aquam evaporatam rursus affundendo, donec ferrum, quantum fieri potest, solutum fuerit et massa pultem praebeat aequabilem, tenacem, e viridi nigrescentem et pro maxima sua parte in aqua fervida solubilem.

Formentur globuli ponderis

grammatum triginta, 30

qui leni calore exsiccati in vase clauso serventur.

Sint nigri, nitentes, saporis ferrosi; cum aquae bullientis partibus octo mixturàm viridi-nigrescentem praebeant residuo parvo relicto.

Glycerinum.

Liquor consistentiae syrupi, limpidus, coloris et odoris expers, saporis dulcis, reactionis neutrius, in aquae et spiritus vini 90% quantacunque copia solubilis, pond. spec. 1·25.

Solutio aquosa nec acido oxalico, nec baryo chlorato, nec argento nitrico, nec aqua hydro-sulfurata turbetur. Cum natrio hydro-oxydato soluto mixtum et ad ebullitionem calefactum colorem ne mutet. Sub calore fortiori partim decompositum evaporet, fere nihil residui relinquens.

Unguentum.

Gramen.

Triticum repens Linn., Agropyrum repens Beauv., herba ad vias, sepes et in agris frequentissima. Gramineae.

Rhizoma (Radix Graminis) longissimum, teres, ad duo millimetra crassum, fistulosum, tenax, nodosum, ad nodos radicibus tantum obsitum et vaginatum, inodorum, coloris straminei, saporis dulcis. Fodiatur vere, antequam culmi prodierint, et resectis radicibus siccatum servetur.

Extractum.

Guajacum.

Gummi Guajaci. Guajacum nativum.

Guajacum officinale Linn., arbor in America tropica, imprimis in insulis antillanis crescens. Zygophylleae.

Succus resinosus inspissatus sistit frusta variae formae et magnitudinis, modo globosa, modo deformia, extus subviridi pulvere conspersa, caeterum nigro-viridia, fragilia, fractura ex flavo viridi aut subbadio, vitreo splendore nitente, saporis subamari, acris, odoris peculiaris, debilis, sub calore magis emergentis. Substantiis oxydantibus viridescunt frusta aut caerulescunt; in spiritu vini et liquore kalii hydro-oxydati solvuntur.

Tinctura.

Guarana.

Pasta Guarana.

Paullinia sorbilis Mart., arbor in Brasilia indigena. Sapindaceae.

Massae solidae potissimum sub forma baculorum, rarius placentarum vel globorum, ex seminibus e capsulis depromptis sub sole siccatis, pulveratis, cum aqua in pastam formatis et in sole vel fumo casarum siccatis constantium. Guarana est fusco-nigri coloris, dura, fractura ut plurimum plana, nitoris exigui, interne non raro singula semina includens, in aqua pro parte solubilis, odoris proprii, saporis adstringentis et subamari, chocolatae similis.

Gummi arabicum.

Variae species Acaciae et Mimosae in Africae borealis desertis crescentes. Leguminosae.

Succus sponte manans e cortice, aëre induratus, occurrit in frustulis plus minus globosis, albicantibus vel flavis, vitreo nitentibus, non raro iridescentibus, magis minusve pellucidis, fractura conchoidea dissilientibus, inodoris, saporis fatue mucilaginosi. In spiritu vini non solvitur gummi arabicum, in aqua frigida et calida autem facile solvitur et mucilaginem praebet. Pro usu pharmaceutico nonnisi albissimum electum adhibeatur.

Emulsio oleosa. Gelatina Liquiritiae pellucida. Mucilago. Pasta gummosa albuminata. Pasta Liquiritiae flava. Pulvis gummosus.

Helleborus.

Helleborus viridis Linn., planta in Europae mediae et australis silvis montosis spontanea. Ranunculaceae.

Rhizoma (Radix Hellebori) radicosum, sursum ramosum, ramis adscendentibus subteretibus, annulatis, ad tria centimetra longis, ad quatuor millimetra crassis, in segmento transverso cortice medullaque crassiusculis instructis et fasciculis ligni latis, introrsum truncatis remotiusculis, ad annulum interruptum dispositis; radicibus densis, ad decimetrum longis, sesqui millimetrum crassis, valde fragilibus, longitudinaliter rugosis, ut ipsum rhizoma extrorsum fuscis vel e fusco atris,

introrsum sordide albis, odoris fere nullius, saporis acris et peramari. Colligenda radix vere transeunte in aestatem, apud nos mense Majo et Junio, nunquam autumno. Ne confundatur cum radice Hellebori nigri *Linn.*, Adonidis vernalis *L.*, Actaeae spicatae *L.*, adhaereant folia pedata, herbacea, argute inaequaliterque serrata, ante dispensationem removenda. Sapore peramaro simulque acriore discernitur praeterea a radice Hellebori nigri.

Extractum.

Hirudo.

Sanguisuga medicinalis et Sanguisuga officinalis Savigny. Annulata.

Sanguisuga medicinalis, sic dicta **germanica**, supra olivacea, lineis longitudinalibus sex laete ferrugineis, lateralibus nigro punctatis, subtus e subviridi luteola, maculis margineque nigris.

Sanguisuga officinalis, **hungarica** dicta, supra fusca, flava vel rutilans, lineis sex longitudinalibus ferrugineis nigro punctatis, subtus olivacea, immaculata, linea utrinque laterali nigra notata.

Haemopis sanguisorba *Savigny*, ad sugendum inepta, distinguitur dorso irregulariter punctato, haud lineato.

Hydrargyrum.

Ne sit tenax, nec metallis alienis inquinatum, quod destillatione non ex integro evaporat.

Unguentum.

† Hydrargyrum bichloratum ammoniatum.

Hydrargyrum amidato - bichloratum. Hydrargyrum ammoniatum. Mercurius praecipitatus albus.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *grammata quinquaginta,* 50

solve in

Aquae destillatae *grammatibus mille.* 1000

Solutionem filtratam sub continua agitatione misce cum

Ammoniae *grammatibus septuaginta quinque.* 75

Praecipitatum filtro collectum, parva aquae destillatae frigidae copia lotum et expressum in loco obscuro siccetur.

Sit albissimum, in tubo probatorio calefactum ex integro volatile, cum natrio hydro-oxydato soluto mixtum colorem in flavum mutet et ammoniam exhalet.

† Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

Hydrargyri Chloridum corrosivum. Deutochloridum Hydrargyri. Bichloretum Hydrargyri. Hydrargyrum muriaticum corrosivum. Mercurius sublimatus corrosivus. Murias Hydrargyri corrosivus. Perchloridum Hydrargyri. Draco volans.

Sit massa crystallina, saporis admodum metallici, in partibus sedecim aquae frigidae, duabus usque tribus bullientis, in spiritus vini 90% partibus tribus, in

aetheris partibus quatuor sine residuo solubilis, ignita ex integro volatilis.

† Hydrargyrum bijodatum rubrum.

Bijodetum Hydrargyri. Hydrargyrum perjodatum. Deutojoduretum Hydrargyri. Joduretum hydrargyricum. Hydrargyrum jodatum rubrum. Mercurius jodatus ruber.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *grammata quadraginta,* 40

solve in

Aquae destillatae calidae *grammatibus sexcentis,* 600

adde solutionem ex

Kalii jodati *grammatibus quinquaginta* 50

in **Aquae destillatae** *grammatibus ducentis* 200

paratam.

Intime mixta stent, donec praecipitatum subsederit, quod aqua destillata optime lotum sub temperatura ordinaria siccatum servetur in vase bene clauso.

Sit pulvis laete coccineus, in spiritu vini fervido nec non in aqua, quae kalium jodatum vel hydrargyrum bichloratum solutum tenet, ex integro solubilis. Calore liquescat et ignitus plane avolet, emittens vapores sub refrigeratione in crystallos flavas coëuntes, quae postea colorem rubrum induunt. Cum aqua destillata conquassatus liquorem praebeat, qui filtratus in balneo aquae sine residuo evaporet.

† Hydrargyrum chloratum mite,

sublimatione paratum.

Hydrargyrum chloratum mite laevigatum. Hydrargyri Subchloridum. Hydrargyrum muriaticum mite. Protochloridum Hydrargyri. Chloretum Hydrargyri vel hydrargyrosum. Mercurius dulcis. Calomel. Murias Hydrargyri mitis. Aquila alba. Manna metallorum. Panacea mercurialis. Draco mitigatus.

Praeparatum venale in mortario vitreo in pulverem subtilissimum redactum optime aqua destillata fervida elue, deinde in loco obscuro siccatum serva.

Sit pulvis subtilissimus, flavide albus, in aqua, spiritu vini et aethere penitus insolubilis, ignitus plane avolet, quin liquescat.

Aqua destillata cum pulvere conquassata nihil hujus solvat et a sedimento filtrata in balneo aquae evaporet, quin ullum residuum relinquat.

† Hydrargyrum chloratum mite,

via humida paratum.

Calomel via humida.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *grammata centum,* 100

solve in

Aquae destillatae *grammatum tribus millibus.* 3000

Solutioni filtratae inducatur gas acidi sulfurosi, quod in apparatu simili, qualis ad aquam chlori parandam descriptus est, ex

Acidi sulfurici anglicani,

Carbonum ruditer tusorum *āā s. q.*

calefaciendo elicitur.

Quodsi praecipitatum inde ortum non amplius augeatur et solutio acidum sulfurosum redoleat, stet miscella vase tecto in loco tepido ad 70—80° calefacto. Horis aliquot elapsis praecipitatum filtro collige, aqua destillata optime elue et in loco obscuro siccatum serva.

Sit pulvis crystallinus, subtilissimus, coloris albi, reactionis neutrius. Cum aqua destillata quassatus liquorem praebeat, qui filtratus nec aqua hydro-sulfurata nec baryi chlorati solutione turbetur. Ignitus in tubo vitreo vapores rutilos ne edat, sed ex integro sublimet.

† Hydrargyrum jodatum flavum.

Hydrargyrum subjodatum. Protojoduretum Hydrargyri. Hydrargyri Jodidum viride. Mercurius jodatus flavus. Joduretum hydrargyrosum.

Rpe:	**Hydrargyri**	*grammata sedecim,*	16
	Jodi	*grammata decem.*	10

In mortarium vitreum immissa et spiritu vini 90% humectata tere, donec globuli metallici penitus disparuerint, curans, ut massa sub trituratione maneat humida; demum cum spiritu vini bulliente lava, in loco umbroso sicca et in vase luci impervio serva.

Sit pulvis e virescenti flavus, in aqua et spiritu vini insolubilis, igne prorsus evaporet. Lucis aditu decomponitur.

† Hydrargyrum oxydatum flavum.

Hydrargyrum oxydatum. Oxydum Hydrargyri flavum. Mercurius praecipitatus flavus.

Rpe: **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *grammata centum,* 100

solve in

Aquae destillatae tepidae *grammatibus sexcentis.* 600

Liquori filtrato adde solutionem limpidam ex

Kalii hydro-oxydati *grammatibus quadraginta quinque* 45

in **Aquae destillatae** *grammatibus centum quinquaginta* 150

paratam.

Praecipitatum inde ortum filtro collige, aqua destillata perfecte elue, demum in loco obscuro siccatum serva.

Sit pulvis aurantiaco-flavus, in aqua vix solubilis; in tubo vitreo ignitus oxygenium et vapores hydrargyrosos, minime rutilos prodat, residuum nullum derelinquens.

Hydromel infantum.

Rpe: **Infusi laxativi** *grammata triginta,* 30

Syrupi mannati *grammata decem.* 10

Misce.

Hyoscyamus.

Hyoscyamus niger Linn., planta biennis, in ruderatis obvia apud nos frequens. Solanaceae.

Folia inferiora subpetiolata, superiora amplexicauli-sessilia, omnia oblongo-ovata, acuta, profunde sinuato-dentata, tactu mollia, viscido-villosa, odoris peculiaris, narcotici, saporis fatui, amariusculo-subacris. Colligenda e planta bienni caulescente spontanea florescente, nec ultra annum servanda.

† *Extractum. Oleum foliorum coctum.*

Ichthyocolla.

Acipenser Huso Linn., Acipenser Sturio Linn. aliaeque species acipenserum, pisces mare balticum, nigrum, caspicum fluminaque in ea aquas effundentia inhabitantes. Pisces. Ganoidei.

Tunica interior depurata vesicae natatoriae maceratione a tunica exteriore separata, siccata in varias formas redacta sistit vel annulos lyriformes vel lamellas tenues, albidas, diaphanas, tenacissimas, inodoras et insipidas, in aqua fervida et spiritu vini ex toto fere solubiles, solutione admodum glutinante, concentrata refrigerata in gelatinam spissam abeunte.

Emplastrum anglicanum.

Infusum laxativum.

Aqua laxativa viennensis. Infusum Sennae compositum. Potio laxans viennensis.

Rpe: **Foliorum Sennae alexandrinae**
grammata viginti quinque, 25
Aquae communis fervidae
grammata ducenta, 200
infunde per quadrantem horae.

In colatura expressa solve

Mannae electae *grammata triginta quinque* 35

et clarificatam exhibe.

Hydromel infantum.

Ipecacuanha.

Cephaëlis Ipecacuanha Willd., planta in silvis primaevis Brasiliae crescens. Rubiaceae.

Radix torta et flexuosa, duo ad quatuor millimetra crassa, in utramque partem attenuata, annulis densis, incompletis, torosis verrucosa; cortice crasso, corneo, extrorsum plus minusve fusco vel griseo, introrsum sordide flavo, resinoso, splendente, non radiato, a ligno centrali tenui, dilute flavido facile secedente; odoris inter triturandum magis sese evolventis mucidi, ingrati, saporis nauseosi, amari, subacris. Lignum centrale in parando pulvere remanens rejiciatur.

Pulvis Doveri. Tinctura. Trochisci.

Iris.

Iris florentina Linn., in Europa australiore indigena et in Italia superiore imprimis culta. Irideae.

Rhizoma (Radix Ireos florentinae) tuberiforme, siccatum et decorticatum, variae longitudinis, ad quatuor fere centimetra latum, durum, solidum, compactum, articulatum, latere inferiore radicibus resectis cicatrisatum, albidum, odorem violarum spargens.

Pulvis dentifricius albus.

Jacea.

Viola tricolor Linn., herba in arvis ubique obvia. Violaceae.

Herba florida (Herba Jaceae, Herba Violae tricoloris) foliis ovatis vel ovato-oblongis, sparsis, petiolatis, crenatis, stipulis lyrato-pinnatifidis, petiolo longioribus, floribus axillaribus, longe pedunculatis, tricoloribus, e violaceo aut caeruleo, albo et flavo variegatis, saporis amariusculi, nonnihil urentis. Herba florida spontanea absque radice siccetur.

Jalapa.

Ipomoea Purga Wender., planta in montibus mexicanis indigena. Convolvulaceae.

Tubera (Radix Jalapae) vel subglobosa vel pyriformia, nucis juglandis vel pugni mole, integra vel dissecta, compacta, ponderosa, longitudinaliter rugoso-tuberculata, obscure griseo-fusca et inter rugas fumoso-sordida, intus cinerescentia, zonis concentricis, numerosis, obscurioribus, cellulas resiniferas continentibus insignia, fractura resinoso-nitente. Odor debilis nauseosus, sapor inamoene dulciusculus, deinde acris, irritans. Contineant tubera minimum resinae 10 partes in 100 partibus.

Pilulae laxantes.

Jodum.

Sistit crystallos rhomboideas, plerumque lamellares, metallice splendentes, nigro-griseas, plane siccas,

in aqua parum, in spiritu vini et aethere colore fusco, in chloroformio colore purpureo perfecte solubiles. Calefactae ex integro avolent.

Cave, ne jodum aqua humectatum emas.

Syrupus Ferri jodatus. Tinctura.

Juniperus.

Juniperus communis Linn., frutex vel arbusculus apud nos monticola. Coniferae.

Fructus (Baccae Juniperi) sistunt galbulos carnosos, globosos, pisi magnitudine, apice gibbis tribus notatos; integumento exteriore in recentibus nigro-violaceo nitido, non raro glauco-pruinoso, in siccatis nigro-fuscescente; parenchymate pulposo, e subviridi fusco, demum spongioso; seminibus osseis, glanduliferis; odore grate balsameo; sapore subdulci et cum aliqua amaritudine aromatico.

Roob.

Kalium aceticum solutum.

Kali aceticum solutum. Liquor Kali acetici. Liquor Terrae foliatae Tartari. Acetas Lixivae. Acetas Potassae.

Rpe: **Kalii carbonici depurati** *grammata septuaginta,* 70

sensim ingere in

Acidi acetici diluti *grammata trecenta.* 300

Liquor calefiat ad acidi carbonici perfectam expulsionem, dein tantum sive kalii carbonici sive acidi

acetici addatur, quantum ad perfectam neutralisationem requiritur. Quo facto liquor filtratus in balneo aquae evaporetur ad pondus specificum 1·20.

Sit liquor limpidus, fere neuter, aqua hydro-sulfurata ne turbetur.

Kalium bromatum.

Bromuretum potassicum. Bromas Potassae. Potassii Bromidum.

Crystalli cubicae, decolores, inodorae, saporis salini pungentis, facile in aqua, difficilius in spiritu vini solubiles. Solutio aquosa per additam aquam chlori colorem induat fusco-rubrum, qui conquassando cum guttis aliquot chloroformii in hoc migret relicta solutione decolore.

Solutio aquosa cum baryo chlorato tentata vix turbetur.

Quodsi gramma unum (1) kalii bromati miscueris cum grammate uno et quadraginta duabus centesimis ejus partibus (1·42) argenti nitrici fusi, praecipitatum oriatur et liquor supernatans nec nova portione argenti nitrici nec addito acido hydro-chlorico praecipitatum in acido nitrico insolubile deponat.

Kalium carbonicum crudum.

Contineat in 100 partibus minimum 80 partes kalii carbonici, hinc gramma unum cum grammatibus 11·5 solutionis alcalimetricae mixtum post ebullitionem liquorem praebeat reactionis adhuc alcalinae.

Kalium carbonicum depuratum.

Kali carbonicum purum. Carbonas Lixivae purus. Carbonas Potassae seu Lixivae. Alcali vegetabile mite depuratum. Sal Tartari.

Rpe: **Kalii carbonici crudi** *grammatum tria millia,* 3000
solve in

Aquae communis *grammatum sex millibus.* 6000

Liquor stet, donec insolubilia subsederint et kalium sulfuricum non amplius in crystallos concrescat. Dein liquorem limpidum decanta et in lebete ferreo optime mundato ad pondus specificum 1·50 evaporatum iterum per plures dies ad crystallisationem sepone in loco frigido. Crystallos inde enatas rejice. Liquorem ad pondus specific. 1·57 usque 1·59 evapora.

Crystallos nunc per refrigerationem concretas col lige, cum solutione saturata kalii carbonici puri abluendo a muria adhaerente purga, demum in vase ferreo calefacto sub continua agitatione ad perfectam siccitatem redige; pulverem inde enatum adhuc calidum in vase bene clauso serva.

Sit pulvis albus, in aequali pondere aquae perfecte et quidem limpide solubilis.

Gramma unum kalii carbonici aqua destillata solutum et grammatibus 14·4 solutionis alcalimetricae post ebullitionem mixtum liquorem praebeat reactionis adhuc alcalinae.

Solutio arsenicalis Fowleri. Syrupus Rhei.

Kalium carbonicum solutum.

Kali carbonicum solutum. Liquor Salis Tartari. Oleum Tartari per deliquium.

Rpe: **Kalii carbonici depurati** *grammata centum,* 100

Aquae destillatae *grammata ducenta.* 200

Liquorem filtratum ad pondus specificum 1·33 redactum serva.

Kalium chloricum.

Kali chloricum. Kali oxymuriaticum. Kali muriaticum oxygenatum. Chloras Lixivae, seu Potassae, seu kalicus.

Crystalli rhomboideae, lamellares vel tabulaeformes, in aquae frigidae partibus circiter 16, in bulientis 2 solubiles.

Cum combustibilibus tritum, calefactum vel percussum detonat.

Kalium ferro-tartaricum.

Ferrum kalio-tartaricum. Tartras ferrico-potassicus. Tartarus martiatus. Tartras Lixivae et Ferri.

Rpe: **Ferri sesquichlorati crystallisati** *grammata centum et quinquaginta,* 150

solve in

Aquae communis *grammatibus mille quingentis,* 1500

adde

Ammoniae *q. s.* (*grammata circiter* 300)

ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum optime lotum immitte in vas porcellaneum et adde

Kalii hydro-tartarici pulverati
grammata centum. 100

Optime mixta digere per duas horas in temperatura 60° non excedente, dein filtra et liquorem distribue in tenuibus stratis super patinas porcellaneas ad 40°, ad summum usque ad 50° calefactas.

Sal siccatum servetur in lagenis optime clausis.

Sistit squamas crystallinas splendentes coloris fere nigri, sub luce transmissa profunde rubri, saporis parum atramentacei, in aqua frigida solubiles, bulliente decomponendas, in alcohole insolubiles. Solutio aquosa addito natrio hydro-oxydato nonnisi sub ebullitione turbetur.

Kalium hydro-oxydatum.

Kali causticum. Kali hydricum fusum. Lixiva fusa. Hydras kalicus fusus. Potassa caustica. Potassae Hydras. Lapis causticus Chirurgorum.

Rpe: **Kalii carbonici crudi** *grammata mille,* 1000

solve in

Aquae communis *grammatum duobus millibus.* 2000

Stent per aliquot tempus, donec non soluta subsederint, dein limpidum liquorem decanta et mixtum cum

Aquae communis *grammatum decem millibus* 10·000

in lebete ferreo calefac ad ebullitionem, tum adde inter continuam agitationem

Calcii oxydati *grammata sexcenta* 600

cum aqua in tenuem pultem conversi.

Miscella ebulliat, donec pars exemta et filtrata acido hydro-chlorico infusa non amplius effervescat, dein eam transfunde in vas bene claudendum et sepone, donec liquor sedimentum demiserit, a quo in sartaginem ferream perductus evaporet ad justam spissitudinem; tum in vas argenteum transfundatur et in hoc calefiat, donec gutta exemta et in metallum frigidum demissa perfecte indurescat. Demum effundatur in modulum ferreum calefactum et bacilli refrigeratione obtenti statim in vase bene claudendo reponantur.

Sit album vel parum flavescens, in aquae frigidae parte dimidia facile solubile; solutio aquosa in acidum hydro-chloricum infusa ne nimis effervescat. In spiritu vini 70% fere ex integro solvatur. In acido sulfurico diluto solutum et cum acido sulfurico concentrato, cui injecta est exigua quantitas ferri sulfurici crystallisati, mixtum nec colorem fusco-rubrum induat, nec vapores rutilos edat.

Kalium hydro-tartaricum.

Kali tartaricum acidum depuratum. Kali bitartaricum. Tartarus depuratus. Cremor Tartari. Tartras Lixivae seu Potassae acidulus. Potassae Tartras acidus. Crystalli Tartari.

Crustae compactae e crystallis rhombicis, aëri resistentibus, albis, diaphanis, saporis acido-acerbi.

Solvuntur in aquae partibus 240 sub temperatura 10° et in partibus 15 bullientis. Solutio aquosa ammonio hydro-sulfurato ne turbetur.

Electuarium lenitivum. Species laxantes St. Germain.

Kalium hypermanganicum crystallisatum.

Permanganas Potassae vel potassicus.

Rpe: **Kalii manganici crudi**

grammata centum. 100

Ruditer tusa ingere in cucurbitam, quae continet

Aquae communis bullientis

grammata mille. 1000

Per solutionem bullientem, cujus aqua evaporata subinde restituatur, ducatur torrens gasis carbonici. Quodsi gutta exemta et in chartam bibulam albam delapsa rubro et non amplius viridi margine cingatur, ignem extingue. Solutionem coloris intense purpurei decanta a sedimento et super amianthum filtra. Liquor filtratus evaporet in balneo aquae, donec pars exemta et refrigerata cito in crystallos concrescat. Stet dein vase tecto in loco frigido a luce remoto. Crystallos enatas collige, in vase fictili non vitreato in tenuibus stratis extensas sicca, demum in vitro epistomeo vitreo bene clauso serva.

Crystalli primatiscae coloris intense rubri, metallice splendentes, saporis parum adstringentis, in partibus 15 aquae solubiles.

Solutio valde diluta coloris initio purpurei additis acidi sulfurici aliquot guttis rubefit, demum decolor

evadit sedimentum fusco-rubrum deponens. Crystalli cum solutione kalii hydro-oxydati calefactae liquorem viridem praebent; substantiis organicis et luce decomponuntur.

Kalium jodatum.

Kalium hydro-jodicum seu hydro-jodinicum. Hydrojodas Lixivae. Joduretum Potassae. Potassii Jodidum.

Crystalli cubicae, decolores, inodorae, in aëre immutabiles, in $^3/_4$ partibus aquae frigidae, in partibus 6 spiritus vini 90% solubiles. Solutio aquosa cum baryo chlorato tentata vix turbetur et praecipitatum, quod ex solutione ope argenti nitrici obtinueris, cum ammonia quassatum liquorem praebeat, qui addita acidi nitrici copia excedente turbidus tantummodo evadit, non vero praecipitatum deponit.

Kalium manganicum crudum.

Chamaeleon minerale. Manganas potassae.

Rpe: **Kalii chlorici** *grammata octoginta.* 80

Kalii hydro-oxydati *grammata centum quinquaginta.* 150

Mixta liquescant in crucibulo ferreo leni calore. Liquatis sub continua agitatione cum spatula ferrea adde

Mangani hyperoxydati subtiliter pulverati *grammata centum quinquaginta.* 150

Miscella modice incandescat per horam et ultra, donec liquationis indicia praebeat. Crucibulo ab igne remoto exime massam refrigeratam et ruditer tusam serva.

Sit massa obscure viridis, facillime in aqua et quidem maxima parte solubilis.

Kalium natrio-tartaricum.

Tartarus natronatus. Kali natronato-tartaricum. Tartras Lixivae et Sodae. Sal Seignetti. Natro-Kali tartaricum.

Sal venale nova crystallisatione purgetur.

Sint crystalli prismaticae, decolores, pellucidae, in partibus duabus aquae frigidae perfecte solubiles. Solutio aquosa nec aqua hydro-sulfurata, nec ammonio oxalico turbetur, cum solutione baryi chlorati vel argenti nitrici explorata ad summum vestigia praecipitati, in acido nitrico insolubilis, edat.

Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

Kalium nitricum.

Kali nitricum depuratum. Nitrum depuratum. Nitras Potassae seu Lixivae. Nitras kalicus depuratus.

Crystalli prismaticae in aëre persistentes, in aquae frigidae partibus 3, in aquae bullientis 0·4 solubiles. Solutio argento nitrico addito parum nonnisi turbetur, praecipitatum ne demittat.

Cuprum aluminatum.

Kalium stibio-tartaricum.

Tartarus emeticus. Tartarus stibiatus. Tartras Lixivae stibiatus. Tartras Lixivae et Antimonii.

Sal venale, si opus erit, nova crystallisatione purgetur.

Sit pulvis albissimus, saporis primo dulcis, dein irritantis, metallici, in aquae destillatae partibus 15, in fervidae partibus 2 absque sedimento solubilis.

In apparatu Marshii secundum regulas analyseos tentatum arsenicum ne prodat.

Unguentum Autenriethi. Vinum stibiato-tartaricum.

Kalium sulfuratum.

Hepar Sulfuris kalinum. Sulfuretum Lixivae seu Potassae.

Rpe: **Sulfuris sublimati** *grammata quinquaginta,* 50
Kalii carbonici depurati
grammata centum. 100

Intime mixta in crucibulo porcellaneo tecto leni igne liquescant, donec effervescentia peracta massa tranquille fluat et portio exemta in duabus partibus aquae perfecte solvatur. Tum massam in mortarium effusam et refrigeratam in vase bene claudendo reconde.

Sit coloris e fusco citrini, in aqua et spiritu vini solubile.

Kalium sulfuratum pro balneo.

Hepar Sulfuris vulgare.

Simili modo e kalii carbonici crudi partibus duabus (2) et sulfuris parte una (1) paretur et servetur.

Kalium sulfuricum.

Kali sulfuricum. Sulfas Potassae seu Lixivae. Sulfas kalicus. Arcanum duplicatum. Tartarus vitriolatus. Sal polychrestum Glaseri.

Crystalli aut crustae crystallinae cohaerentes prismaticae, sexangulo truncatae, in aëre constantes, ad chartam exploratoriam indifferentes, in partibus novem aquae frigidae, in partibus quatuor fervidae solubiles.

Solutio aquosa aqua hydro-sulfurata ne turbetur.

Kalium tartaricum.

Kali tartaricum neutrum. Tartras potassicus. Potassae Tartras. Tartarus tartarisatus. Tartras kalicus.

Rpe: **Kalii carbonici depurati**
grammata centum et decem, 110

solve in

Aquae destillatae *grammatibus quadringentis.* 400

Solutioni in vase porcellaneo calefactae sensim sub continua agitatione ingere

Kalii hydro - tartarici
grammata trecenta. 300

Quodsi post extricationem acidi carbonici soluta non sint neutra, adde kalii carbonici soluti quantum sufficit ad saturationem.

Liquorem sepone per 24 horas, deinde filtra, blando igne ad pondus specificum 1·45 evapora et tum in loco tepido ad crystallisationem sepone.

Massam crystallinam plane siccatam, in pulverem tritam et per cribrum setaceum trajectam in vitro bene clauso serva.

Sit pulvis albissimus, neuter, in aequali pondere aquae frigidae, in dimidio fervidae solubilis; aqua hydro-sulfurata solutio ne turbetur, caeterum ut solutio kalii natrio-tartarici ad reagentia se praebeat.

Kamala.

Rottlera tinctoria Roxb., arbor Indiae orientalis. Euphorbiaceae.

Glandulae Rottlerae indumentis fructuum insidentes collectae sistunt pulverem subresinosum, colore laterum, constantem ex glandulis minutis, depresso-subglobosis, vesiculas clavatas, balsamo repletas continentibus. Sit a pilis minutis stellatis semper immixtis, multo levioribus, quantum fieri potest, et ab arena liber.

Kousso.

Kosso.

Brayera anthelminthica Kth., arbor in Abyssiniae montibus indigena. Rosaceae.

Paniculae femineae (Flores Brayerae, Flores Kousso) coarctatae, ramosissimae, villosae, bracteatae, multi-

florae, floribus perigynis, plus minus defloratis, bibracteolatis, bracteolis subrotundis sepalisque quinque vel quatuor exterioribus oblongis, circiter centimetrum longis, membranaceis, reticulatis, subrubris vel subviridibus, hypanthio brevi, turbinato, villoso insertis; saporis nauseoso-subamari. A ramis crassioribus liberatae in vasis bene clausis, luci imperviis serventur.

Kreosotum.

Sistit liquorem oleosum, initio decolorem, dein flavescentem, odoris empyreumatici fortis, peculiaris; solvitur in 100 partibus aquae, facillime in spiritu vini et aethere; versus temperaturam 203° ebullire incipit; pondus sp. variat 1·037—1·086. Solutioni ferri sesquichlorati colorem caeruleum non tribuit, verum accedente spiritu vini color intense viridis enascitur; sub temperatura — 20° in massam solidam non abit.

Aqua Kreosoti.

Laurus.

Laurus nobilis Linn., arbor sempervirens regionis mediterraneae. Laurineae.

Fructus (Baccae Lauri) sistunt drupas siccatas, ovales, rugosas, e fusco nigras, minoris cerasi magnitudine, mesocarpio tenui, putamine chartaceo, ex fusco rubro; semine in cotylas duas fere hemisphaericas, oleoso-carnosas, subfuscas facile secedente; odoris peculiaris, saporis oleosi, amari.

Emplastrum de Meliloto.

Lavandula.

Lavandula vera DC., planta in Europa australi spontanea, in hortis apud nos culta. Labiatae.

Flores ante plenariam anthesim e pedicillis decerpti, calyce striato, cylindrico, violaceo, villoso, quinque-dentato, dente summo majore, corolla bilabiata, violacea, pubescente, odoris etiam in sicco suave fragrantis.

Aqua aromatica spirituosa. Species aromaticae. Spiritus.

Lichen islandicus.

Cetraria islandica Achar., in Europa boreali, in montibus celsioribus Europae mediae et australis gregarie ad terram nascens. Lichenes.

Planta integra constans e thallo erecto cartilagineo, olivaceo-castaneo, basi albido, sanguinolento, subtus pallidiore, laciniato, laciniis sublinearibus, multifidis, dentato-ciliatis, in sicco aspero, strepente, fragili, humectato cartilagineo-subcoriaceo, saporis peramari. Coctus cum aqua post refrigerationem in gelatinam coit. Sit a quisquiliis aut muscorum fragmentis admixtis liberatus.

Gelatina.

Linimentum ammoniatum.

Linimentum volatile.

Rpe: **Olei Olivarum** *grammata centum et sexaginta,* 160

Ammoniae *grammata quadraginta.* 40

Misce in lagena vitrea conquassando.

Linimentum saponato-camphoratum.

Balsamum Opodeldoc.

Rpe: **Saponis veneti** *grammata quadraginta,* 40
„ „ **communis albi** *grammata octoginta,* 80
Spiritus Vini 70% *grammata quingenta.* 500

Digere ad solutionem, cui filtratae adde

Olei Lavandulae
„ **Rosmarini** *āā grammata quinque,* 5
Ammoniae *grammata viginti,* 20
Camphorae in spiritu vini solutae
grammata decem. 10

Misce et in vasis bene obturatis serva.

Linum.

Linum usitatissimum Linn. Lineae.

Semina ovato-oblonga, compressa, basi obtusiuscula, apice acuminata, quatuor millimetra circiter longa, integumento fusco, nitido, in aqua emollita lubrica, nucleo albido, oleoso.

Quotannis renovanda.

Species emollientes. Species emollientes pro cataplasmate.

Liquiritia.

Glycyrrhiza glabra Linn., planta in Europa australiore spontanea, apud nos culta. Leguminosae.

Radix perlonga, subsimplex, ad duo centimetra crassa, ponderosa, extus griseo-fusca, striato-sulcata, intus obscure flava, cortice crassiusculo, ligno duro, grosse et rigide fibroso, transversim dissecto denso, radiis medullaribus linearibus radiato; saporis perquam dulcis cum aliqua acredine.

Decoctum Zittmanni fortius et mitius. Extractum. Gelatina. Species Althaeae. Species pectorales. Syrupus Diacodii.

Glycyrrhiza echinata Linn., planta in Russia meridionali spontanea et culta.

Radix longa, ad quatuor centimetra crassa, cortice exteriore deglupto, coloris flavi; libro subtenui, ligno crasso, levi, radiatim fisso, fractura valde fibrosa; saporis perdulcis absque acredine.

Pulvis gummosus.

Liquor acidus Halleri.

Elixirium acidum Halleri.

Rpe: **Spiritus Vini 90%** *partes tres,*
Acidi sulfurici concentrati puri
partem unam.

Infundatur acidum in spiritum, ut mixtura calefiat, et servetur in vase epistomeo vitreo clauso.

Sit liquor limpidus, flavescens, saporis acidissimi corrosivi, odoris spirituoso-aetherei.

Lobelia.

Lobelia inflata Linn., planta in America boreali spontanea, apud nos in hortis culta. Lobeliaceae.

Planta florida integra (Herba Lobeliae inflatae) in usu est. Caulis pedalis, inferne simplex, superne ramulosus, glaber; folia alterna, sparsa, utrinque pilosa, inferiora breviter petiolata, oblonga, superiora sessilia, oblongo-lanceolata, acuta, inaequaliter serrata. Flores racemosi, parvi, calyx inflatus, corolla sublabiata, caerulea; fructus capsula inflata, polysperma. Sapor initio debilis, demum peracris. Advehitur nobis planta integra discissa in placentis valde compressis, quadrangularibus.

Tinctura.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. UNIW. JAGIEL.

Lupulus.

Humulus Lupulus Linn., suffrutex scandens dioicus, apud nos sponte crescens et cultus. Cannabineae.

Glandulae Lupuli a strobilis recens siccatis ope cribri setacei separatae, sub nomine **Lupulini** notae, sistunt pulverem subresinosum, aureum, deinde e luteo fuscum. Glandulae ipsae minutae, turbinatae, vertice hemisphaericae, balsamo citrino repletae, odoris peculiaris, saporis aromatico-amari. Quotannis denuo colligantur. Arena ne sint inquinatae.

Lycopodium.

Lycopodium clavatum Linn., fruticulus repens in silvis montanis elatioribus crescens. Lycopodiaceae.

Sporae e spicis fructiferis siccatis excussae et per cribrum trajectae, **Semen Lycopodii** vulgatim nominatae, sistunt pulverem farinosum, tenerrimum, pallide flavum, maxime mobilem, digitis adhaerentem, aquae innatantem,

nec facile cum ea miscendum, flammae inspersum celerrime cum strepitu fulminis instar sine fumo deflagrantem, odoris et saporis expertem, sub microscopio ex cellulis constantem minutissimis, reticulato-costatis, tetragono-globosis, pyramidem trigonam, basi maxime convexam efficientibus. Sit a quisquiliis et arena liber, nec pinorum polline saturatius flavo et sub digitis trito terebinthinam redolente, aeque ac amylo, forma et reactione jodi soluti nota facile discernendo, inquinatus.

Macis.

Myristica moschata Linn., *Myristica fragrans Houtt.*, arbor in insulis Moluccis crescens. Myristiceae.

Arillus semen obducens, recens carnosus, sanguineus, siccatus exhibet tunicam tactu pinguem, subcarnosam, luteo-coccineam, fragilem, multifidam, laciniis linearibus apice reflexis, denticulato-incisis. Obvenit in mercatura aut compressa aut in fragmentis. Odor peculiaris, aromaticus, sapor aromatico-fervidus.

Aqua aromatica spirituosa.

Magnesium carbonicum hydro-oxydatum.

Magnesia carbonica. Magnesia hydrico-carbonica. Magnesiae Carbonas. Magnesia alba. Magnesia Muriae.

Massa pulverulenta, nivea, levissima, in aqua insolubilis; in acidis cum effervescentia facile solvitur.

Solutio acida baryo chlorato tentata ne turbetur et per ammoniam neutra redacta acido oxalico exiguum nonnisi praecipitatum deponat.

Potio Magnesiae citricae effervescens. Pulvis dentifricius albus.

Magnesium citricum.

Rpe: **Magnesii oxydati** *grammata quinque,* 5
Acidi citrici pulverati
grammata viginti. 20

Misce exactissime, deinde triturando cum

Aquae destillatae *grammatibus tribus* 3

massam in pultem redige, quae in patina porcellanea in balneo aquae per aliquot minuta calefacta tumescens statim indurescit.

Massam refrigeratam in pulverem redige et in vase clauso serva.

Sit pulvis albus, saporis aciduli, in aqua frigida brevi tempore penitus solubilis.

Magnesium hydro-oxydatum.

Magnesia usta in aqua. Magnesia hydrica. Hydras magnesicus. (Antidotum Arsenici albi.)

Rpe: **Magnesii oxydati recenter parati**
grammata septuaginta, 70
Aquae destillatae *grammata quingenta.* 500

Mixta serva in lagenis optime clausis.

Haec praeparati quantitas in pharmacopoliis semper praesto sit.

Rejiciatur miscella, quae addito acido sulfurico diluto effervescit.

Magnesium lacticum.

Lactas Magnesiae.

Crystalluli prismaticae in crustis cohaerentes, splendentes, aëre immutabiles, solvuntur in 28 partibus aquae frigidae, in 6 partibus fervidae, in spiritu vini insolubiles sunt.

Solutio aquosa nec baryo chlorato, nec aqua hydro-sulfurata turbetur.

Magnesium oxydatum

Magnesia usta sive calcinata. Magnesia pura. Oxydum magnesicum.

Rpe: **Magnesii carbonici hydro-oxydati** *q. v.*

Imprime in vas figulinum non vitreatum, donec fere repletum fuerit; operculo figulino imposito calefiat, donec pars e medio massae calcinatae exemta et cum aqua mixta acido sulfurico diluto affuso non amplius effervescat.

Sit in acidis sine effervescentia solubile, reactionis et saporis alcalini.

Magnesium sulfuricum.

Sulfas Magnesiae. Magnesia sulfurica. Sal amarus. Sal anglicus, Epsomensis, Sedlitzensis.

Crystalluli prismaticae, albae, splendentes, in aëre parum fatiscentes, in aquae frigidae partibus duabus, in

fervidae parte una solubiles. Solutio aquosa nec aqua hydro-sulfurata turbetur, nec cum baryo carbonico excedente cocta liquorem praebeat, qui filtratus et ad siccitatem evaporatus residuum alcalinae reactionis relinquit.

Maltum.

Maltum Hordei.

Fructus Hordei incipiente germinatione ope caloris auctioris necata et celeriter siccata, saporis dulcis, amariusculi, farinacei.

Malva.

Malva rotundifolia Linn. et Malva sylvestris Linn., plantae apud nos vulgares. Malvaceae.

Folia longe petiolata, cordato-orbicularia, angulata vel sublobata, lobis obtusis, subduplicato-crenato-dentatis, pilosiuscula, supra saturate viridia, subtus pallidiora, inodora, saporis herbaceo-mucilaginosi. Folia e plantis florentibus colligenda.

Species emollientes.

Flores Malvae sylvestris sub plenaria anthesi decerpti calyce involucrato, corolla pentapetala rosea, staminibus monadelphis.

Species Althaeae. Species pectorales.

Manganum hyperoxydatum nativum.

Frusta cinereo-nigrescentia, lineam griseam, non fuscam, acus ope ductam exhibentia praeferuntur.

Manna.

Fraxinus Ornus Linn., arbor in Calabria et Sicilia indigena et culta. Oleineae.

Succus saccharinus e truncis et ramis sauciatis effluens et aëre induratus aut occurrit in massis grumosis e frustulis variae magnitudinis, flavis vel albidis, conglobatis, saporis dulcis, submellei cum quadam acredine subnauseosa, **Manna calabrina electa**; aut sistit frusta planiuscula vel canaliculata, obsolete trigona, hinc inde subcylindrica, sicca, levia, friabilia, fractura stratis concentricis, quae sub lente visa e crystallis parvis composita apparent, colore albido vel subflavo, saporis mellei purioris absque acredine, **Manna calabrina cannellata**.

Infusum laxativum. Syrupus mannatus.

Massa pilularum Ruffi.

Rpe:	**Pulveris Aloës**	*grammata sexaginta,*	60
	„ **Myrrhae**	*grammata triginta,*	30
	„ **Croci**	*grammata decem.*	10

Misce.

Mastiche.

Mastix.

Pistacia Lentiscus Linn., arbor in insulis Archipelagi graeci, imprimis in insula Chios crescens et culta. Terebinthaceae.

Succus resinosus e truncis et ramis sauciatis exsudatus, aëre inspissatus sistit grana subrotunda, pisi

plerumque magnitudine, subflava, superficie pulverulenta, fractura vitri instar splendentia, pellucida, dura, friabilia, facile terenda; odoris debilis, aromatici, saporis aromatici, irritantis. Mastix leni calore fluit et comburendo spargit odorem balsameum, in aqua non solubilis, in spiritu vini pro maxima parte, in oleis omnino solvitur. Ori immissa mollescit et dentibus adhaeret.

Emplastrum oxycroceum. Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Mel crudum.

Cave, ne sit acidum neve adulteratum.

Mel depuratum.

Rpe: **Caragaheen** *grammata quatuor,* 4
Aquae communis *grammatum duo millia.* 2000
Calefac in lebete usque ad ebullitionem, adde
Mellis *grammatum duo millia.* 2000

Coquantur leni igne per $^1/_4$ horae, spumam ope cochlearis despumatorii separando, deinde adhuc calida per manicam panneam colentur et ad consistentiam syrupi spissioris evaporentur.

Electuarium aromaticum. Electuarium lenitivum. Emplastrum anglicanum. Mel rosatum. Oxymel Scillae. Oxymel simplex.

Mel rosatum.

Mel Rosarum.

Rpe: **Florum Rosarum siccatorum**
grammata quadraginta, 40

Aquae communis fervidae
grammata quadringenta. 400

Sepone per tres horas, tum cola et exprime atque liquori filtrato adde

Mellis depurati *grammata mille.* 1000

Mixta evaporentur leni igne ad mellis spissitudinem.

Serva in loco frigido.

Melilotus.

Melilotus officinalis Desrouss., herba in pratis et pascuis passim crescens. Papilionaceae.

Herba cum floribus. Folia alterna, pinnatim trifoliata, foliolis oblongo-lanceolatis, obtusis, argute serratis. Flores parvi, flavi, in spicas elongatas dispositi. Odor recentis exiguus, siccatae gravis, aromaticus, sapor amariusculus, subsalsus.

Emplastrum. Species emollientes.

Melissa.

Melissa officinalis Linn., planta in Europa australi indigena, passim in hortis sata. Labiatae.

Folia caulina longe petiolata, cordato-ovata, obtusa, grosse crenato-serrata, supra saturate viridia, sparsim pilosa, subtus pallidiora, glabriuscula, minute glandulosa, rugoso-venosa, grate citriodora, saporis aromatici, amariusculi, subadstringentis. Planta florescente collecta et siccata in vase bene clauso ne ultra annum serventur.

Aqua. Aqua aromatica spirituosa. Spiritus aromaticus.

Mentha.

1. *Mentha crispa Linn.*, planta in Europa australi indigena, apud nos in hortis culta. Labiatae.

Folia breviter petiolata, cordata vel ovata, bulloso-rugosa, dentata, dentibus productis, glandulosa, villosa vel glabra, odoris et saporis aromatici, peculiaris, sub tempore florescentiae collecta.

Aqua aromatica spirituosa. Aqua carminativa. Species aromaticae.

2. *Mentha piperita Linn.*, planta in Anglia indigena, apud nos culta. Labiatae.

Folia longius petiolata, ovalia vel oblonga, acuta, argute serrata, supra glabra, subtus subhirsuta, glandulosa, fragrantia, saporis subcamphorati, frigoris sensum in ore excitantis, e stirpe florenti decerpta.

Acetum aromaticum. Aqua. Electuarium aromaticum. Spiritus.

Millefolium.

Achillea Millefolium Linn., planta in agris arvisque vulgaris. Compositae.

Herba florida foliis alternis bipinnatifidis, laciniis brevissimis, filiformibus, setula terminatis, subtus glandulosis, hirtis; capitulis parvis, albis vel rosaceis, in corymbum terminalem densum, fastigiatum dispositis. Odor aromaticus, sapor subsalsus, amarus, aliquantum adstringens. Planta nonnisi capitulis bene evolutis in collibus apricis colligenda.

† Morphinum.

Morphium. Morphina. Morphia.

Crystalli prismaticae, decolores, nitentes, saporis amari. Solvuntur in aquae fervidae partibus 500, in spiritus vini 90% partibus 90. Chloroformium nonnisi perexiguam quantitatem harum solvit, in aethere et in glycerino fere insolubiles sunt. Solutio aquosa in chartam exploratoriam alcalium modo reagit, ferro sesquichlorato soluto colorem caeruleum induit, qui acidis extinguitur.

Ignitum sine residuo comburat.

† Morphinum hydro-chloricum.

Chlorhydras morphicus. Morphiae Murias. Morphium muriaticum. Morphinum hydro-chloratum.

Crystalli aciculares, tenues, sericeo nitentes, saporis peramari, solvuntur in aquae frigidae partibus viginti, in pari fere pondere fervidae, facillime in spiritu vini. Solutio aquosa cum kalio hydro-oxydato tentata praecipitatum album deponit, quod in kalio hydro-oxydato excedente perfecte solvitur.

Ignitum ex integro comburat. Crystalli cum solutione ferri sesquichlorati humectatae colorem caeruleum induant.

Mucilago Cydoniorum seminum.

Rpe: **Seminum Cydoniorum** *gramma unum,* 1
Aquae destillatae *grammata viginti quinque.* 25

Conquassa in lagena vitrea et cola.
Ex tempore paranda.

Mucilago Gummi arabici.

Rpe: **Gummi arabici in pulverem triti** *grammata viginti,* 20
solve sensim affundendo
Aquae communis *grammata quadraginta* 40
et triturando in mucilaginem redige.

Myrrha.

Gummiresina Myrrha.

Balsamodendron Ehrenbergianum Berg et fortasse *Balsamodendron Myrrha Nees,* arbores in Arabia indigenae. Burseraceae.

Succus resinosus e cortice exsudatus et aëre induratus sistit frusta globosa vel irregularia, pisi vel pugni mole, ochroleuca vel rubro-fusca, extus pulverulenta, friabilia, fractura cerae instar nitentia, ibidem coloris pallidius aut obscurius ex rubenti fusci, interdum venis pallidis perducta, odoris et saporis peculiariter aromatici et subamari.

Solvitur myrrha pro parte minori in aqua, solutione flavo-fusca, turbida. In spiritu vini pro majore parte solubilis, solutione fusco-rubra, limpida. Calefacta, quin liquetur, intumescit, odorem aromaticum edens, flammae admota statim deflagrat.

Massa pilularum Ruffi. Tinctura.

Natrium aceticum.

Natrum aceticum crystallisatum. Acetas Sodae. Terra foliata Tartari crystallisata. Acetas natricus cum aqua.

Rpe: **Acidi acetici diluti** *grammata ducenta,* 200
sensim ingere
Natrii hydro-carbonici *q. s.* (*grammata fere* 60)
ad perfectam saturationem.

Liquor calefiat ad perfectam acidi carbonici expulsionem, dein fervidus adhuc filtretur et in balneo aquae evaporet, donec pellicula crystallina adpareat. Crystallos refrigeratione et iterata evaporatione obtentas et aëre siccatas serva.

Crystalli decolores in partibus tribus aquae frigidae, in spiritus vini bullientis duabus solvuntur.

Solutio aquosa aqua hydro-sulfurata ne turbetur, baryo chlorato vel argento nitrico addito acido nitrico tentata nonnisi vestigia praecipitati prodat.

Natrium boracicum.

Natrum boracicum. Natrum boricum. Boras Sodae. Borax depurata. Borax Veneta.

Crystalli prismaticae, decolores, in aëre fatiscentes, calore liquescunt et in massam spongiosam — **Boracem ustam** — abeunt. Solvuntur in partibus duodecim aquae frigidae, in duabus fervidae.

Aqua hydro - sulfurata solutionem aquosam ne turbet.

Natrium carbonicum crystallisatum.

Natrum carbonicum. Carbonas Sodae. Alcali minerale. Sal Sodae.

Crystalli rhomboidales, decolores, aëre cito fatiscentes, in partibus duabus aquae frigidae, in omni quantitate aquae bullientis solubiles.

Solutio aquosa, si acido hydro-chlorico supersaturatur, nec odorem gasis hydro-sulfurati, nec sulfurosi spargat, nec sulfur deponat, nec addita aqua hydro-sulfurata turbetur. Natrio chlorato et sulfurico ne nimis sit inquinatum, hinc grammata 10 natrii carbonici neutra reddantur grammatibus 6·98 solutionis alcalimetricae.

Crystalli ruditer tusae et in loco tepido aëri expositae ultra sex decimas ponderis partes perdunt. Pulvis inde enatus sub nomine:

Natrium carbonicum dilapsum (siccum)

praesto sit.

Tinctura Rhei aquosa.

Natrium hydro-carbonicum.

Natrum bicarbonicum. Bicarbonas Sodae sive Natri. Carbonas Sodae acidulus. Bicarbonas natricus.

Crustae crystallinae, opacae, aëre non fatiscentes, in aquae partibus tredecim solubiles.

Grammata octo natrii hydro-carbonici per ignitionem derelinquant summum grammata quinque, quae ad perfectam neutralisationem exposcant grammata 9·5 solutionis alcalimetricae.

Pastilli e Natrio bicarbonico. Potio Magnesiae citricae effervescens. Pulvis aërophorus. Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

Natrium phosphoricum.

Natrum phosphoricum. Phosphas Sodae. Sal mirabilis perlatus.

Sal venale nova crystallisatione purgetur.

Sistit prismata tetragona, pellucida, verum cito fatiscentia, reactionis alcalinae, in aquae frigidae partibus quatuor, in fervidae partibus duabus solubilia.

Solutio aquosa baryo chlorato tentata praecipitatum edat, quod addito acido hydro-chlorico ex integro solvitur. Simili modo se habeat praecipitatum flavum cum argento nitrico productum reagente acido nitrico.

Solutio aquosa per acidum hydro-chloricum dilutum et aquam hydro-sulfuratam additam ne turbetur.

Natrium silicicum.

Sit ponderis specifici 1·4. Cum quarta ponderis sui parte spiritus vini 90% mixtum praecipitatum deponat, cujus defectus praesentiam natrii hydro-oxydati liberi indicat. Corrigitur tale praeparatum coquendo liquorem cum acido hydro-silicico recenter praecipitato.

Natrium sulfuricum crystallisatum.

Natrum sulfuricum crystallisatum. Sulfas Sodae. Sal mirabilis Glauberi.

Sal venale nova crystallisatione repurgetur.

Sistit frusta crystallina fatiscentia, sub temperatura 33° in tertia parte aquae solubilia.

Solutio aquosa ammonio hydro-sulfurato tentata praecipitatum nullum producat, quod etiam de aqua hydro-sulfurata valet.

Natrium sulfuricum aëri sicco expositum dimidium fere ponderis sui perdit et in pulverem album dilabitur, qui sub nomine:

Natrium sulfuricum dilapsum (siccum), Sal mirabilis dilapsus praesto sit.

Nux moschata.

Myristica moschata Linn., vide: Macis.

Semen Myristicae (Nux moschata) sistit nucleum ovalem, ad duo et dimidium centimetra longum, ponderosum, extus reticulatum, saepe pulvere albo adspersum, intus pallide subfuscum, integumenti interioris processibus obscure aurantiacis ruminatum, odoris grate aromatici, peculiaris, saporis fervido-aromatici. Nuclei mucidi, leves, ab insectis corrosi, saporis et odoris debilioris, Myristicae fatuae *Houtt.* progenies, forma oblonga et majore longitudine distincti, rejiciantur.

Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum. Spiritus aromaticus.

† Nux vomica.

Strychnos Nux vomica Linn., arbor Indiae orientalis. Loganiaceae.

Semen (Nux vomica) discoideum, circiter duo et dimidium centimetra latum, duo millimetra crassum, saepe subarcuatum, ambitu tumidum, hinc centro umbonatum, pilis minutissimis, sericeis, cinereo-ochroleucis, adpressis vestitum, constat ex integumento tenui, arcte adhaerente et ex albumine corneo, albido vel griseo-flavo, bipartibili, basi embryonem concelante, inodoro, saporis amarissimi.

† *Extractum.* † *Tinctura.*

Oleum Amygdalarum dulcium.

Rpe: **Amygdalarum dulcium** *q. v.*

In pulverem redactas et sacculis inclusas primum leviter, dein fortissime in prelo exprime. Oleum per chartam bibulam filtratum serva.

Sit limpidum, colore pallide flavo, inodorum, saporis mitis, non rancidi, non exsiccans, frigore non spissescens.

Ceratum Cetacei. Unguentum emolliens.

Oleum Anisi.

E fructibus anisi vulgaris per destillationem paratum sit limpidum, decolor vel parum flavescens, sub temperatura 6—10° in massam crystallinam ex parte abeat, in spiritus vini 90° partibus duabus usque tribus perfecte solvatur.

Gutta olei in chartam bibulam delapsa maculam pinguem, in spiritu vini insolubilem ne derelinquat; sub calore sensim aucto avolet, residuo vel nullo, vel nonnisi perexiguo relicto; frustulum calcii chlorati fusi

magnitudinis pisi cum oleo quassatum nec diffluat, nec emollescat.

NB. Olea aetherea in genere sub explorationibus modo enumeratis se praebeant, ut oleum anisi.

Oleum Aurantiorum corticum.

Sit limpidum, subflavescens, saporis grate aromatici cum aliqua amaritudine, solvatur in spiritus vini 90% partibus quinque.

Tractu temporis particulas crystallinas in aqua et spiritu vini solubiles deponit.

Oleum Aurantii florum.

Oleum Neroli.

Oleum recens decolor, tenue, tempore flavescens, demum e fusco flavum, in aequali parte spiritus vini 90% facile solvitur.

Balsamum vitae Hoffmanni.

Oleum Bergamottae.

Sit sublimpidum, saporis cum aliqua acredine amaro-aromatici, in dimidia parte spiritus vini 90% limpide solvatur.

Per longius tempus asservatum massam crystallinam in spiritu vini minus solubilem deponit.

Sapo sulfuratus. Unguentum pomadinum.

Oleum Cacao.

Oleum Cacao unguinosum. Butyrum Cacao.

Semina Cacao leniter tosta, decorticata et mundata, in vase ferreo calefacto in pulticulam tenuem trita, sacco inclusa inter preli torcularis laminas calefactas fortissime exprimantur. Tum massa leni calore liquata et per chartam bibulam albam filtrata in taleolas effundatur.

Sit album vel e subflavo album, odore grato seminis cacao, sapore miti, temperatura consueta fragile, leni calore (graduum + 30) sine sedimento liquescens.

Oleum cadinum.

Oleum Juniperi empyreumaticum.

Oleum empyreumaticum, destillatione sicca ligni *Juniperi Oxycedri Linn.* obtentum, obscure fuscum, spissiusculum, picis liquidae simile.

Oleum camphoratum.

Rpe: **Camphorae in pulverem contritae** *grammata viginti quinque,* 25

solve in

Olei olivarum *grammatibus septuaginta quinque.* 75

Oleum Carvi.

Oleum decolor aut subflavum, tenue, temporis tractu spissius, in spiritus vini 90% aequali parte solubile.

Oleum Caryophyllorum.

Sit limpidum, decolor vel parum flavescens, odoris fragrantissimi, saporis urentis, aromatici, in spiritu vini nec non in acido acetico concentrato facile solvendum.

Balsamum vitae Hoffmanni. Unguentum pomadinum.

Oleum Cinnamomi.

Sit flavescens, limpidum, in spiritu vini facillime solvendum.

Balsamum vitae Hoffmanni.

Oleum Citri.

Oleum de Cedro.

Sit limpidum, tenue, in septem partibus spiritus vini 90% solubile, cum oleis pinguibus facile miscendum.

Potio Magnesiae citricae effervescens. Balsamum vitae Hoffmanni.

Oleum Crotonis Tiglii.

Oleum e seminibus Crotonis Tiglii decorticatis pressum, sit limpidum, paulum spissum, coloris bruneo-flavi, odoris ingrati, subnauseosi, saporis acris. Solvitur in 36 partibus spiritus vini, facilius in aethere.

Oleum Foeniculi.

Characteribus olei anisi similibus insignitur.

Oleum Hyoscyami foliorum coctum.

Rpe: **Foliorum Hyoscyami recentium**
grammata quingenta, 500
Olei Olivarum *grammatum duo millia.* 2000

Coque ad humidi consumtionem, expressum et filtratum serva.

Oleum Jecoris Aselli.

Oleum Jecoris Aselli flavum.

Ex hepate recenti *Gadi Morrhuae Linn.*, *Gadi Callarias Linn.* et aliarum specierum Gadi maria septemtrionalia incolentium sponte effluens vel leni calore obtentum oleum pingue, spissiusculum, pellucidum, coloris flavi vel aurei, odoris et saporis debilis piscini. Ne sit rancidum, neve turbidum, neve liquor, qui oleo cum acido acetico diluto conquassato et filtrato obtinetur, kalio bichromico colore flavo, neve acido sulfurico colore albo praecipitetur.

Oleum Juniperi.

Sit limpidum, decolor, tenue, odoris proprii aromatici. Solvitur in decem partibus spiritus vini 90%.

Unguentum aromaticum. Unguentum Juniperi.

Oleum Lauri.

Oleum ex fructibus recentibus lauri ope coctionis cum aqua et expressione paratum. Sit viride, unguenti mollioris consistentia, granulosum, odoris laurini, aromatici, saporis amari, in sesqui partibus aetheris solubile.

Unguentum aromaticum.

Oleum Lavandulae.

Sit subflavescens, limpidum, tenue, in spiritu vini 90% sub omni proportione solvendum.

Balsamum vitae Hoffmanni. Linimentum saponato-camphoratum. Spiritus saponatus. Unguentum Sabadillae.

Oleum Macidis.

Recens paratum decolor, tractu temporis evadit subfuscum et stearoptenum deponit. Aqua quassatum in oleum aqua levius et oleum gravius butyri consistentiae separatur. In spiritu vini facile solvitur.

Balsamum vitae Hoffmanni.

Oleum Menthae crispae.

Sit flavescens, in spiritu vini 90% sub omni proportione solubile.

Unguentum aromaticum.

Oleum Menthae piperitae.

Oleum limpidum, flavescens, tenue, saporis urentis, refrigerantis, in pari pondere spiritus vini 90% solvendum.

Pasta dentifricia. Pulvis dentifricius albus. Rotulae Menthae piperitae.

Oleum Nucis moschatae.

Balsamum Nucistae.

E seminibus myristicae moschatae expressione in India orientali paratum adfertur in massis quadrangulis, colore aurantiaco et flavescenti albido aut rubicundo variegato, odore et sapore myristicae moschatae, in quatuor partibus aetheris ferventis plane solubile, in graduum + 68 temperatura liquescens.

Oleum Olivarum.

Oleum venale, e fructibus oleae expressione frigida paratum, notissimum, ad usum internum nonnisi purissimum (oleum olivarum provinciale vel virgineum) coloris pallide flavi, saporis mitis, odoris fere nullius adhibeatur.

Emplastrum Cantharidum. Emplastrum Cerussae. Emplastrum de Meliloto. Emplastrum Minii adustum. Emplastrum saponatum. Linimentum ammoniatum. Oleum camphoratum. Oleum Hyoscyami foliorum coctum.

Oleum Ricini.

Oleum Palmae Christi. Oleum Castoris.

E seminibus ricini communis decorticatis expressione obtentum sit pingue, limpidum, paulum spissum, decolor aut subflavum, saporis blandi, odoris expers, in spiritus vini proportione omni solubile.

Oleum nimis spissum, rancidum et acre rejiciatur.

Oleum Rosarum.

Sit fere decolor, subspissum, frigore solidescens, odoris fragrantissimi, sub temperatura 22° in partibus 33 spiritus vini 90% solubile.

Oleum Rosmarini.

Oleum Anthos.

Oleum limpidum, tenue, coloris expers vel flavescens, in spiritu vini 90% omni proportione solubile, temporis tractu stearopteni exiguam quantitatem deponit.

Linimentum saponato-camphoratum. Unguentum aromaticum.

Oleum Sinapis aethereum.

Allylii Sulfocyanidum. Allylii Rhodanidum.

Oleum recens paratum decolor, limpidum, odoris penetrantissimi acris, saporis urentis, in cute qua rubefaciens agit. Sit ponderis specif. 1·01, sub temperatura 145—148° ebulliat.

Solvitur in aquae partibus quinquaginta, facilius in alcohole et in aethere. Solutio aquosa cito decomponitur.

Oleum per longius tempus luci expositum induit colorem rutilo-fuscum et sedimentum sordide aurantiacum deponit.

Spiritus Sinapis.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Spiritus Terebinthinae.

Sit limpidum, decolor, in partibus septem spiritus vini 90% solubile.

Oleum Valerianae.

Oleum flavescens, primum tenue, temporis tractu spissius, tenax, in aqua parum, in spiritus vini 90% aequali parte solubile.

Olibanum.

Thus.

Boswellia serrata Colebr., arbor Indiae orientalis. Burseraceae.

Succus resinosus e trunco stillans et aëre induratus, occurrit in granis subglobosis vel oblongis, pisi vel nucis juglandis magnitudine, flavo-rubellis vel albo-flavescentibus, opacis sive subdiaphanis, extus pulverulentis, fragilibus, fractura opaca, aequali, fissili.

Odor debilis, super prunis balsameus notissimus, sapor acriusculus cum aliqua amaritudine.

Emplastrum oxycroceum.

Ononis.

Ononis spinosa Linn., suffrutex in arvis et campis obvius. Papilionaceae.

Radix multiceps, capitibus profunde saepe sejunctis, calamum scriptorium usque digitum fere crassa, cylindrica, praelonga, tenax et flexibilis, sub epidermide griseo-fusca et cortice tenui fusco lignum exhibens album, radiis medullaribus crebris instructum, inodora, saporis ingrate acerbi cum aliqua dulcedine.

† Opium.

Laudanum. Meconium.

Papaver somniferum Linn., herba in oriente indigena et ibidem maxime culta. Papaveraceae.

Succus lacteus e capsulis vulneratis immaturis effluens, aëre induratus, in Asia minori collectus. Occurrit plerumque in placentis paulo compressis vel subglobosis, papaveris foliis involutis et extus fructibus rumicis cujusdam conspersis. Recentes sunt molliores, intus pallide fuscae, e granulis vel lacrymis parvis consistentes in discissione placentarum conspicuis, exsiccatae obscuriores, fractura nitentes, ex rubro fuscae, in spiritu vini et in aqua pro parte solubiles; odoris nauseoso-narcotici et saporis amari.

Opium exsiccatum et pulveratum contineat 10 partes basium propriarum, praesertim morphii in 100 partibus. Cognoscitur hoc modo:

Opii siccati et pulverati grammata decem (10) macera per 24 horas cum grammatibus nonaginta (90) miscellae paratae ex grammatibus centum et quadraginta (140) aquae destillatae et grammatibus quadraginta (40) acidi hydro-chlorici diluti, dein cum ejusdem miscellae grammatibus nonaginta (90) partitis vicibus extrahe. Residuum, quod non solutum restat, in filtro noti ponderis colligatur et siccetur. Ejus pondus, quodsi opium bonae indolis experimento subjectum fuerit, grammata quatuor et dimidium ($4^1/_2$) non excedat.

Solutioni acidae admisceantur natrii chlorati pulverati grammata viginti (20), quibus solutis miscellam loco frigido per 24 horas sepone. Sedimentum tenax, glutinosum inde ortum primum decantatione, dein filtratione a liquore separa et cum solutione saturata natrii chlorati elue. Liquoribus collectis et mixtis adde ammoniae quantitatem sufficientem, usque dum redoleat. Sepone in loco frigido per 12 horas, dein morphium in crystallos concretum et parietibus vasis adhaerens cauta decantatione a liquore separa, cum exigua quantitate aquae destillatae lava, demum in filtro collige et siccatum in patina porcellanea cum aequali circiter pondere miscellae ex acidi acetici diluti et aquae destillatae $\overline{aa}$ partibus aequalibus paratae contere, denique aquae destillatae parva quantitate addita, quod solvi poterit, solve. Solutionem filtra, filtrum elue; liquores tali modo obtenti pondus 70—80 grammatum ne excedant. Ammonia sufficiente quantitate, ut superabundet, admixta stet liquor per 12 horas, dein praecipitatum

inde ortum filtro noti ponderis collige, parva quantitate aquae optime elue et sicca. Sit ad minimum ponderis grammatis unius.

Electuarium aromaticum cum Opio. Extractum. Pulvis Doveri. Tinctura crocata et simplex.

Origanum.

Origanum vulgare Linn., planta ad vias et sepes vulgaris. Labiatae.

Herba cum summitatibus florentibus (Herba Origani), foliis oppositis, petiolatis, ovatis, acutis vel obtusiusculis, subintegerrimis, utrinque pubescenti-scabriusculis, florum spicis densis, bracteatis, in corymbum terminalem dispositis. Odor fragrans, sapor aromaticus, subamaricans.

Species aromaticae.

Oxymel Scillae.

Rpe:	**Aceti Scillae**	*grammata quingenta,*	500
	Mellis depurati	*grammata mille.*	1000

Evapora in lebete ebullitionem evitando ad syrupi consistentiam, tum per manicam e panno confectam colatum et frigefactum in vase obturato in loco frigido sepone.

Oxymel simplex.

Rpe:	**Aceti**	*grammata quingenta,*	500
	Mellis depurati	*grammata mille.*	1000

In lebete leni calore evapora in syrupi spissitudinem, tum cola per manicam laneam.

Papaver Rhoeas.

Papaver Rhoeas Linn., herba inter segetes vulgaris. Papaveraceae.

Petala (Flores Papaveris Rhoeados) subrotunda, miniata, basi interdum macula purpureo-nigricante notata, odoris debilis narcotici; siccata tenuissima, fere diaphana, sordide purpurea, fere inodora.

Species pectorales.

Papaver somniferum.

Papaver somniferum Linn., herba orientalis, apud nos frequentissime culta. Papaveraceae.

Capsulae (Capita Papaveris) ante plenam maturitatem, quamdiu ex incisione succus lacteus manat, collectae et leni igne siccatae, nucis juglandis magnitudine, subglobosae vel ovato-oblongae, glabrae, saepe glauco-pruinosae, coronatae stigmate sessili, disciformi, decemradiato, sub stigmate poris decem apertae, saporis nauseoso-amari.

Syrupus Diacodii.

Pasta dentifricia dura.

Rpe: **Pulveris Saponis veneti**	*grammata viginti,*	20
Calcii carbonici	*grammata octo,*	8
Carminii	*centigrammata viginti,*	0·20

Olei Menthae piperitae
centigrammata quinquaginta 0·50
in
Spiritus Vini 90% *grammatibus tribus* 3
soluti.

Fiat massa, quae in tabulam redacta siccetur.

Pasta dentifricia mollis.

Rpe: **Pulveris Saponis veneti**
grammata quinque, 5
Calcii carbonici *grammata viginti,* 20
Carminii *centigrammata viginti,* 0·20
Olei Menthae piperitae
centigrammata quinquaginta 0.50
in
Spiritus Vini 90% *grammatibus duobus* 2
soluti.

Fiat cum
Syrupi simplicis *grammatibus quinque* 5
massa mollis, quae in vas porcellaneum ingeratur.

Pasta gummosa albuminata.

Pasta Althaeae.

Rpe: **Pulveris Gummi arabici**
Sacchari *āā grammata quingenta,* 500
solve in
Aquae communis fervidae
grammatibus quingentis. 500

Evapora ad pastae consistentiam, sub finem addendo albumen ovorum duodecim in spumam conquassatum.

Sub continua agitatione misce et tamdiu evapora, donec massae aliquantulum exemptum nec e spatula lignea defluat, nec manibus adhaereat, tunc adde

Aquae Aurantii florum
grammata quinquaginta. 50

Massa per breve tempus adhuc super ignem retenta tandem effundatur super tabulam ligneam amylo conspersam et in loco sicco seponatur.

Sit alba, non nimis sicca, in ore facile liquescens.

Pasta Liquiritiae flava.

Rpe: **Succi Liquiritiae venalis in aqua soluti et colati**
grammata centum et viginti, 120

Gummi arabici
Sacchari *āā grammata mille.* 1000

Cum aquae communis sufficiente quantitate et albumine ovorum viginti fiat leni calore evaporando pasta, additis sub finem

Vanillae *grammatibus duobus* 2
cum **Sacchari** *grammatibus quindecim* 15
contritis.

In taleolas scissam serva.

Pastilli e Natrio hydro-carbonico.

Pastilli Bilinenses (de Vichy).

Rpe: **Natrii hydro-carbonici subtiliter triti**
grammata tria, 3

Sacchari albi pulverati
grammata quadraginta quinque, 45
Aquae destillatae *q. s.,*
ut fiat massa, e qua formentur pastilli *triginta.*

Petroleum rectificatum.

Liquor per destillationem petrolei nativi obtentus, limpidus, decolor, pond. spec. 0·75—0·77, versus 85° temperaturam ebullire incipit. In aqua insolubilis, difficulter solvitur in spiritu vini, facile in aethere et in oleis diversis tum fixis, tum volatilibus.

Pilulae laxantes.

Rpe: **Pulveris Aloës** *grammata quadraginta,* 40
„ **Jalapae tuberum**
grammata sexaginta, 60
„ **Saponis medicinalis**
grammata viginti, 20
„ **Anisi vulgaris fructuum**
grammata decem. 10
Misce, fiant pilulae ponderis
centigrammatum viginti. 0·20

Pix liquida.

Resina empyreumatica liquida.

Praeparatum venale, e fago silvatica destillatione sicca obtentum, sistit liquorem spissum, aqua graviorem, oleosum, coloris nigro-fusci, subdiaphanum,

odoris empyreumatici, kreosotum redolentis, saporis nauseosi, amari, os urentis.

Sapo Picis. Unguentum sulfuratum.

Plumbum aceticum.

Saccharum Saturni. Acetas Plumbi acidulus.

Sint crystalli coloris expertes, in aqua frigida facile et nonnisi exiguo residuo solubiles. Serventur in vasis bene clausis.

Plumbum aceticum basicum solutum.

Acetum Lithargyri. Subacetas plumbicus. Acetum Plumbi. Acetum Saturni. Extractum Saturni. Liquor Plumbi subacetici. Plumbum hydrico-aceticum solutum.

Rpe: **Plumbi acetici** *grammata trecenta.* 300

Contere cum

Plumbi oxydati pulverati *grammatibus centum.* 100

Mixta in lagenam immitte, quae continet

Aquae destillatae *grammatum tria millia.* 3000

Stent in lagena clausa saepius conquassando, donec color sedimenti in album mutatus fuerit et exigua nonnisi quantitas non soluta remaneat.

Liquor filtratus sit pond. specif. 1·23—1·24 et in vase bene clauso servetur.

Sit coloris fere expers, reactionis alcalinae, superaddita ammonia liquor filtratus decolor maneat.

Aqua plumbica. Aqua vegeto-mineralis Goulardi. Unguentum Plumbi acetici.

Plumbum aceticum solutum.

Saccharum Saturni solutum. Acetas Plumbi acidulus solutus.

Rpe: **Plumbi acetici** *grammata triginta,* 30
Aquae destillatae *grammata centum octoginta.* 180

Solve et serva in vase clauso.

Plumbum carbonicum.

Cerussa.

Massa albissima, in acido acetico perfecte solubilis sub effervescentia. Solutio ope acidi nitrici diluti effecta et gase hydro-sulfurato praecipitata, dein filtrata natrio carbonico ne turbetur.

Emplastrum Cerrussae. Unguentum Cerrussae.

Plumbum hyperoxydatum rubrum.

Minium.

Solvatur fere ex integro in acido nitrico diluto accedente acido oxalico et aqua fervida.

Emplastrum Minii adustum.

Plumbum oxydatum.

Lithargyrum.

Sistit massam rubro-flavescentem, squamosam, quae in acido nitrico aqua diluto perfecte solvatur.

Cum acido sulfurico diluto conquassatum praebeat liquorem, qui filtratus per superadditam ammoniam nec colorem caeruleum induit, nec praecipitatum rubrofuscum deponit.

Emplastrum Diachylon simplex.

Potio Magnesiae citricae effervescens.

Potio citrica purgans. Limonade purgative.

Rpe: **Acidi citrici** *grammata duodecim,* 12
Magnesii carbonici *grammata septem,* 7
solve in
Aquae destillatae calidae
grammatibus trecentis, 300
deinde solve
Sacchari pulverati *grammata quadraginta* 40
mixti cum
Olei citri *gutta una.*

Liquorem filtratum et refrigeratum immitte in lagenam idoneam et injice
Natrii hydro-carbonici in frustulis
gramma unum et semis. 1·5

Lagenam statim claude subere et ligamento jam antea accomodato eodem modo, quo lagenae cum liquoribus effervescentibus impletae obturari et ligari solent.

Pulpa Tamarindorum depurata.

Rpe: **Pulpae Tamarindorum**
grammatum duo millia. 2000
infunde cum

Aquae communis fervidae
grammatum duobus millibus. 2000

sepone et saepius agita usque ad emollitionem. Pulpam per cribrum setaceum transmissam in vase porcellaneo evapora in balneo aquae ad extracti spissi consistentiam, deinde ternis partibus pulpae admisce partem unam sacchari pulverati et evaporatione inspissa ad legitimam pulpae consistentiam.

Electuarium lenitivum.

Pulvis aërophorus.

Rpe: **Natrii hydro-carbonici subtiliter triti**
grammata duo. 2

Detur ad chartam caeruleam.

Rpe: **Acidi tartarici subtiliter triti**
gramma unum et semis. 1·5

Detur ad chartam albam.

Pulvis aërophorus Seidlitzensis.

Seidlitz Powder Anglorum.

Rpe: **Kalii natrio-tartarici subtiliter triti**
grammata decem, 10

Natrii hydro-carbonici subtiliter triti
grammata tria. 3

Mixta dentur ad chartam caeruleam.

Rpe: **Acidi tartarici subtiliter triti**
grammata tria. 3

Detur ad chartam albam.

Pulvis dentifricius albus.

Rpe: **Pulveris Ireos florentinae rhizomatis**
„ „ **Magnesii carbonici hydro-oxydati**
āā grammata quinque, 5
„ „ **Calcii carbonici**
grammata quadraginta, 40
Olei Menthae piperitae in pauxillo spiritus vini 90%
soluti *guttas quatuor.*
Misce.

Pulvis dentifricius niger.

Rpe: **Pulveris Chinae Calisayae corticis**
„ „ **Salviae foliorum**
„ „ **Carbonis ligni depurati**
āā grammata viginti. 20
Misce.

Pulvis Doveri.

Pulvis Ipecacuanhae cum Opio.

Rpe: **Pulveris Ipecacuanhae radicis**
„ „ **Opii** *āā grammata quinque,* 5
„ „ **Sacchari** *grammata quadraginta.* 40
Misce diutius terendo.

Pulvis gummosus.

Rpe: **Amyli**
Pulveris Liquiritiae radicis
āā grammata quinquaginta, 50

Pulveris Gummi arabici
„ „ **Sacchari** *āā grammata centum.* 100
Misce.

Punica Granatum.

Punica Granatum Linn., arbor in Oriente spontanea, in Europa meridionali culta. Myrtaceae.

Cortex radicis (Cortex Granati radicis) sistit frusta canaliculata vel convoluta variae magnitudinis, dimidium usque unum millimetrum crassa, extus verrucoso-exasperata, plus minusve rimosa, ex griseo et subfusco flava, intus e subviridi flava, nec radiatim striata, superficie intima pallide cinnamomea, laevia vel assulis tenuibus, e flavescenti albis adhaerentibus instructa, fractura aequabili, saporis ingrati, subamari, adstringentis.

Extractum.

BIBLIOTEKA UCZNIÓW WYDZ. LEK. (Ann. 1.)

Pyrethrum.

Anacyclus Pyrethrum DC., planta mediterranea, in Algeria imprimis spontanea et culta. Compositae.

Radix (Radix Pyrethri) circumfertur in segmentis cylindricis calami scriptorii aut digiti crassitie, variae longitudinis, rugosis, extus griseo-fuscis, intus ex albo flavescentibus. Radix inodora, masticata sensationem acrem, fere causticam producit, salivam copiose ciens.

Tinctura Spilanthi oleracei composita.

Quassia.

Quassia amara Linn., arbor Americae tropicae. Simarubaceae.

Lignum trunci et ramorum, Lignum Quassiae surinamense. Est albidum vel subflavum, leve, in segmento transverso radiis medullaribus circulisque concentricis, etiam sub lente angustissimis decussatum, in frustibus cylindricis, ad octo centimetra crassis, cortice tenui facile separabili obtectis vel decorticatis, saporis amarissimi. Nec adhibeatur rasura venalis, nec Lignum Quassiae jamaicense e Picraena excelsa *Lindl.* petitum, quod prostat in truncis circiter tria decimetra crassis, in segmento transverso radiis medullaribus circulisque concentricis latioribus, oculo nudo satis manifestis praeditis, cortice crassiusculo lignoso tectis.

Extractum.

Quercus.

Quercus pedunculata Ehrh. et Quercus sessiliflora Sm., arbores indigenae. Cupuliferae.

Cortex e truncis junioribus, vere ante foliorum evolutionem detractus, ad duo millimetra crassus, extrinsecus fragilis, intrinsecus tenax, fasciatim fibratus; peridermate tenuissimo separabili, nitido, coloris e cano argentei vel cinereo-fusci; cortice medio fusco; libro flavescente vel fuscescente, in segmento transverso anguste tesselato, postea in fascias tenues angustas, flexibiles distracto; odoris nullius, saporis adstringentis amari.

Semen, e cotyledonibus duobus, plano-convexis, crassis, cartilagineo-carnosis, extus reticulatis, pallide fuscis, intus albidis vel ochroleucis constans, saporis austeri, adstringentis. Semina immatura, insectis corrosa vel vetustate corrupta rejiciantur.

Semina quercuum leni igne siccata, in vase ferreo sub continua agitatione tamdiu torrefacta, donec colorem fuscum induerint et facile frangantur, largiuntur **Semina Quercus tosta**, quondam Glandes Quercus tostae nominata. Refrigerata in pulverem grossiusculum contunde.

Ratanha.

Ratanhia.

Krameria triandra Ruiz et Pav., planta suffruticosa in Peruvia crescens. Polygaleae.

Radix lignosa, trunco crassiore, sursum multicipite, inferne ramoso, ramis longis, imo longissimis, ad sesqui centimetrum crassis, cylindricis, divaricatis aut, ut frequentius obvenit, rami soli a trunco abscissi; cortice sexduplo tenuiore, quam lignum, facile separabili, fractura subfibrosa, coloris epidermidis fusco - rubri, corticis subjacentis violaceo-nitentis, saporis valde adstringentis, subamari; pars lignosa compacta, ochroleuca vel cinnamomea, subinsipida, subtilissime radiata et porosa. Radix cortice orbata aeque ac radix ab aliis Krameriae speciebus derivanda ut granatensis, texensis et brasiliensis vitanda.

Extractum. Tinctura.

Resina Jalapae.

Magisterium Jalapae.

Rpe: **Tuberum Jalapae ruditer tusorum**
grammata quingenta. 500

Infundendo cum

Aquae communis fervidae *q. s.*

macera per duos tresve dies, dein exprime et sicca.

Siccatis affunde

Spiritus Vini 90% *grammata mille.* 1000

Post digestionem per 24 horas liquorem defunde, residuum expressum cum eadem quantitate spiritus vini denuo digere et hanc digestionem tertia vice repete.

A tincturis filtratis et commixtis spiritus vini in balneo aquae destillando separetur.

Residuum immitte in aquam destillatam bullientem et coque, ut spiritus ultima vestigia extricentur, dein resinam a liquore supernatante separa, aqua fervida optime elue et lotam in vas porcellaneum immissam calefac in balneo aquae, donec pars exempta et refrigerata facile friabilis fiat.

In bacillos formatam serva.

Sit fracturae splendentis, coloris e flavo fusci, friabilis; facile in spiritu vini, parum in aethere solvatur, in oleo terebinthinae insolubilis sit.

Resina Pini.

Terebinthina cocta.

Sit subflava, in spiritu vini ex toto solubilis.

Rheum.

Rheum palmatum Linn. et verosimiliter praeterea aliae Rhei species in alpibus Chinae boreali-occidentalis spontaneae. Polygoneae.

Radix (Radix Rhei, Radix Rhabarbari) decorticata et in frusta quoad magnitudinem maxime variantia conscissa sistit segmenta multiformia, aut per omnem substantiam, aut ad dimidium non raro forata, extrorsum plerumque pulvere laete luteo conspersa, introrsum rubro et albo variegata, fractura aspera, massa alba et radiis rubris aut plus minusve fuscis, multifarie, plerumque irregulariter contortis et intricatis distincta. Manducata inter dentes stridet, salivam mox flavo tingit; odor peculiaris aromaticus, sapor nauseoso-amaricans. Rejiciatur radix vetusta, cariosa, levis et spongiosa aeque ac nimis dura, ponderosa et lignosa, mucida, nigricans. Pulvis sit intense luteus, croci pigmenti fere colore, scateat crystallis bene evolutis calcii oxalici et guttulis accessu kalii hydro-oxydati soluti purpurascentem colorem induentibus, id quod sub microscopio cerni et tentari potest. His characteribus facile distinguitur a pulvere radicum rhei specierum in Europa cultarum.

Syrupus Rhei. Tinctura Rhei aquosa. Tinctura Rhei vinosa Darelli.

Roob Juniperi.

Rpe: **Juniperi maturorum recentium fructuum** *q. v.*
Contusos coque in
Aquae communis *s. q.*,
donec mollescant, dein exprime.

Liquor colando depuratus evaporetur ad mellis spissitudinem, deinde ternis partibus succi inspissati addatur pars una sacchari et leni calore inspissetur in roob.

Roob Sambuci.

Rpe: **Fructuum Sambuci recentium** *q. v.*,
calefac agitando usque ad ebullitionem, deinde liquorem per setaceum transmitte et residuum sacculis linteis inclusum ope preli exprime. Succum expressum et colatum coque ad extracti spissi consistentiam, tunc adde novenis partibus succi inspissati sacchari partem unam et leni igne sub continua agitatione evapora ad roob consistentiam.

Electuarium lenitivum.

Rosa.

Rosa centifolia Linn., imprimis varietas: *Rosa damascena Mill.*, frutices orientales, apud nos frequentissime culti. Rosaceae.

Corolla (Flores Rosarum) polypetala sub anthesi resecta et celeriter siccata, saporis adstringentis, odoris in statu sicco exigui, grati.

Mel rosatum.

Rosmarinus.

Rosmarinus officinalis Linn., frutex in Europa australi indigenus, in hortis non raro cultus. Labiatae.

Folia (Folia Anthos) anguste lineari-lanceolata, rigida, glandulosa, obtusa, margine integerrimo revoluta, supra profunde viridia, rugosa, medio sulcata, subtus albo-tomentosa, nervo prominente, odore aro-

matico gravi, camphoraceo, sapore in recentibus acri, terebinthaceo, in sicco mitiore.

Acetum aromaticum. Spiritus aromaticus.

Rotulae Menthae piperitae.

Rpe: **Rotularum Sacchari** *grammata septuaginta,* 70
humecta cum miscella ex

Olei Menthae piperitae

Spiritus Vini 90% *āā guttis triginta.*

Siccatas in vase vitreo bene clauso serva.

Sabadilla.

Schoenocaulon officinale A. Gray, planta in Andibus mexicanis spontanea et culta. Melanthaceae.

Fructus (Semen Sabadillae) sistens carpella tria capsularia, chartacea, griseo-flavescentia, sutura ventrali hiantia, facile secedentia, oblonga, acuta, circiter duodecim millimetra longa, seminibus plerumque elapsis, oblongis, subteretibus, curvatis, hinc acutis, rugosis, splendentibus, fusco-nigris, intus albidis, quatuor ad sex millimetra longis, quae masticata acerrimam eliciunt sensationem linguae. Fructus seminibus scatentes caute servandi.

Unguentum.

† Sabina.

Juniperus Sabina Linn., frutex in alpibus Europae mediae et australis, non raro cultus. Cupressineae.

Summitates (Frondes Sabinae) sistunt ramulos coarctatos, foliis brevissimis, aut quadrifariam imbricatis, squamaeformibus, obtusiusculis, erecto adpressis (var. Cupressifolia) aut remotiusculis, patulis (var. Tamariscifolia), dorso glandula oblonga impressa notatis, odoris gravis, saporis resinoso-amari, balsamici. Caute, nec ultra annum serventur. Odore debiliore et ramulis magis patulis discernuntur summitates Sabinae virginianae *Berg*, quibuscum hinc inde confunduntur.

Saccharum.

Eligatur albissimum, siccum.

Saccharum Lactis.

E sero lactis vaccini paratum prostat in placentis crystallinis aut in massis cylindricis, e crystallis prismaticis, diaphanis, albidis, inodoris, saporis subdulcis, inter dentes stridentibus, compactis. In aquae fervidae partibus duabus et in frigidae partibus sex lente solvuntur. Saccharum lactis odoris rancidi et coloris flavi rejiciatur.

Salep.

Orchis Morio L. aliaeque species generum e familia Orchidearum Europae Asiaeque.

Tubera (Radix Salep) radicalia oblonga aut ovata, integra vel rarius basi palmatim partita, unum ad duo et dimidium centimetra longa, subdiaphana, durissima, subcornea, ponderosa, plus minusve rugosa, colore sor-

dide albo vel ex albo flavescente, inodora, mucilaginosa, pulverata in aqua sensim intumescentia, tandem in mucilaginem lubricam conversa. Gramma unum pulveris cum grammatibus quadraginta aquae bullientis praebeat gelatinam. Eadem quantitas pulveris bulbi colchici, quocum una vice salep inquinatum inventum fuit, eadem ratione tractata gelatinam non largitur.

Salix.

Salix fragilis Linn. aliaeque Salicis species, ut *Salix pentandra, alba, purpurea*, arbores ad rivulos et fossas ubique crescentes. Salicineae.

Cortex e ramis bimulis trimulisque primo vere collectus et cito siccatus, flexilis, ad millimetrum crassus, extus fuscus vel viridescens, laeviusculus, verniculose non raro nitens, intus pallide cinnamomeus vel citrinus, libro lamelloso-fibroso, in segmento transverso anguste tesselato; saporis amaro - adstringentis. Liber acido sulfurico humefactus colorem induit coccineum.

Salvia.

Salvia officinalis Linn., in Europa meridionali indigena, frequentissime apud nos culta. Labiatae.

Folia petiolata, oblonga, crenulata, rugosa, villosa, crassiuscula, odoris aromatici, fragrantis, saporis aromatico-amariusculi et adstringentis. Sub florum anthesi folia legenda.

Acetum aromaticum. Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum. Pulvis dentifricius niger. Species aromaticae.

Sambucus.

Sambucus nigra Linn., arbor notissima. Caprifoliaceae.

Flores sistunt cymas quinqueradiatas, multifloras, corollis epigynis, minutis, rotato-quinquefidis, ex albo luteolis vel pallide sulfureis, odoris aromatici, peculiaris aeque ac saporis. Sereno coelo colligendi resectis cymis et celeriter siccandi, nigrescentes rejiciendi.

Fructus baccati recentes (Baccae Sambuci) sistunt drupas subglobosas, tripyrenas, calyce minuto coronatas, pisi magnitudinis, extus coloris e violaceo nigri, succo purpureo repletas, saporis grate aciduli, subdulcis, odoris peculiaris.

Roob.

Santoninum.

Crystalli prismaticae, hexagonales vel squamosae, decolores, lucis influxu flavescentes, calefactae liquescunt et tum partim decomponuntur, partim sublimant. Santoninum in aqua frigida nonnisi parum solvitur, verum in 250 partibus aquae bullientis, in spiritus vini frigidi partibus 43, in bullientis 3, in aetheris partibus 72, in chloroformii partibus 4 solvitur.

Solutio spirituosa addito kalio hydro-oxydato soluto colorem coccineum induit. Cum alcalibus et calcaria santoninum conjunctiones in aqua facile solubiles, decolores init.

Trochisci Santonini.

Sapo kalinus.

Sapo viridis. Sapo mollis.

Sapo venalis, coctione kalii hydro-oxydati soluti et olei pinguis paratus, exhibet massam mollem, coloris sordide fusci, odoris peculiaris ingrati.

Aëri expositus non durescit; in aqua et spiritu vini facile solvitur.

Unguentum sulfuratum.

Sapo medicinalis.

Sapo medicatus. Sapo durus.

Rpe: **Natrii hydro-oxydati soluti p. sp. 1·35**
grammata mille, 1000

calefactis sensim admisce inter continuam agitationem

Axungiae Porci recentis leni calore liquatae
grammatum duo millia. 2000

Mixtione peracta in balneo aquae stent subinde agitando, donec axungia penitus disparuerit.

Massa refrigeratione indurata in tabulas scissa in loco temperato siccetur.

Sit albus, durus, saporis mitis alcalini, non caustici, in aqua et spiritu vini plane solubilis.

Saponem, qui efflorescentiam crystallinam e natrio carbonico constantem exhibet, nondum perfecte depuratum et siccatum censeas. Pulvis crystallinus adhaerens detergendo removeatur.

Pilulae laxantes.

Sapo Picis.

Rpe: **Picis liquidae** *grammata quinque,* 5

Saponis veneti pulverati

grammata triginta quinque, 35

in mortario calore balnei aquae subige, dein miscella in capsulas transmissa leni calore siccetur.

Sapo sulfuratus.

Rpe: **Saponis veneti pulverati**

grammata triginta quinque, 35

Sulfuris sublimati loti

grammata quinque, 5

Olei Bergamottae *gramma dimiduum.* 0·5

Bene mixtis adde

Spiritus Vini 70% *q. s.,*

ut fiat massa, quae in formam idoneam redacta siccetur.

Sapo venetus.

Sapo oleaceus.

Ex oleo olivarum paratus, sit albus, durus, odoris minime rancidi, in spiritu vini 70% solubilis.

Emplastrum saponatum. Linimentum saponato-camphoratum. Pasta dentifricia. Sapo Picis. Sapo sulfuratus. Spiritus saponatus.

Sarsaparilla.

Sassaparilla.

Smilacis diversae species, in America tropica crescentes. Smilacineae.

Radices secundariae (Radix Sarsaparillae), nonnunquam cormo removendo adhaerentes, praelongae, calami scriptorii ut plurimum crassitie, teretes, flexiles, striato-sulcatae.

Distinguuntur duae potissimum varietates:

1. Sarsaparilla e Honduras, quam acrem, hinc inde farinosam nominare solent, extrorsum fusco-grisei vel obscure fusci coloris, mesophloeo solido, albo, farinoso, amplo, annulo ligni clauso fuscescente tenuiore, medulla alba, farinosa ampliore distincta.

2. Sarsaparilla e Veracruz, amaricans passim dicta, a Smilace medica *Schlechtend.* oriunda, extrorsum rubrofusci vel griseo-fusci coloris, profunde sulcata, mesophloeo aut labente, aut corneo, tenui, ligno e contra crasso, medullam superante.

Decoctum Zittmanni fortius et mitius.

Scilla.

Scilla maritima Linn., planta in litoribus Europae mediterraneae frequens. Varietas cum bulbo rubro. Liliaceae.

Squamae bulbi rubri (Bulbus Scillae) ex Calabria nobis advecti extremae et his proxime ad $^2/_3$ adjacentes, rejectis chartaceis, parenchymate orbatis extimis aeque ac internis placentam centralem ambientibus, con-

scissae, subdiaphanae, corneae, facile fragiles, rubicundae, saporis acris, insigniter amari.

Squamae ex recenti bulbo autumno collecto sedulo selectae et ad facilem fragilitatem usque siccatae caute serventur et pulvis nonnisi exigua quantitate paratus prostet. Squamae fuscae, tenaces, humidae et mucidae rejiciantur.

Acetum. Extractum.

Sebum ovile.

Ne sit rancidum.

† Secale cornutum.

Claviceps purpurea Tulasne, fungus annuus vel biennis in floribus gramineis, praesertim Secalis cerealis *L.*, germine abortiente crescens. Fungi.

Stromata sterilia obtuse trigona, plerumque curvata, utrinque vel modo sursum attenuata, trisulca, ex violaceo nigricantia, saepe pruinosa, intus alba, marginem versus sensim violacea, apice non raro appendice, calyptra, sordide alba instructa, circiter duo et dimidium centimetra longa, ad tria millimetra lata, odoris fungos redolentis, saporis nauseosi, modice acris.

Colligatur solum e spicis Secalis cerealis *L.* instante messe, serena tempestate et in vitris optime clausis nec ultra annum servetur. Corrosum, rancidum rejiciatur.

† *Extractum.*

Senega.

Polygala Senega Linn., planta perennis in Americae borealis temperatis crescens. Polygaleae.

Radix subcylindrica, basi tuberculosa, ad sex millimetra crassa, apicem versus sensim attenuata, paullum ramosa, subvoluta, in interiore curvaturae latere carina corticali arguta notata, in altero latere torosa, annulata, epidermide cinereo-flavida, cortice flavescente, crassiusculo, fragili, poroso; ligno pallide flavo, in latere carinae opposito vel plano vel exciso. Odor fere nullus, sapor corticis primum submucosus, deinde ingrate acidulus, admodum acris, peculiari rancore fauces vellicans.

Senna.

Cassia lenitiva Bisch., *Cassia obovata Collad.*, frutices in Nubia et Aegypto spontanei, *Cassia medicinalis Bisch.*, frutex in Arabia felici indigenus, in India orientali cultus. Papilionaceae.

Folia Cassiae lenitivae et Cassiae obovatae, potissimum prioris, constituunt **Sennam alexandrinam**, apud nos praecipue prostantem, quibus plus minusve folia Solenostemmatis Arghel *Hayne* (Asclepiadeae) admixta esse solent, a quibus separanda sunt.

Praeter Sennam alexandrinam conceditur quoque **Senna Tinnevelly** ex India orientali ex Cassia medicinali (var. Cassia Royleana) oriunda.

Folia Cassiae lenitivae lanceolata vel oblonga, subcoriacea, acuta, mucronata, basi inaequalia, breviter petiolata, superne ex ochroleuco viridia, subtus glauca, venosa, pubescentia, odoris peculiaris, saporis nauseoso-subamari.

Folia Cassiae obovatae obovata vel ovalia, breviter petiolata, retusa cum mucrone exiguo, subtus plus

minusve pubescentia, odoris et saporis ejusdem ac foliorum Cassiae lenitivae. (Folia Solenostemmatis Arghel lanceolata, rigida, crassa, breviter petiolata, basi aequalia, uninervia, glauca, pubescentia, saporis adstringentis amari.)

Folia Cassiae medicinalis (var. **Cassia Royleana**) lanceolata vel lineari-lanceolata, acuta, laete viridia, tenuiora, fere membranacea, longiora ac folia Sennae alexandrinae, nec non integritate prae caeteris mercibus excellentia.

Folia Sennae ope spiritus vini partibus resinosis orbata sunt **Folia Sennae sine resina**, quae partem essentialem specierum laxantium St. Germain constituunt.

Decoctum Zittmanni. Electuarium lenitivum. Infusum laxativum. Syrupus mannatus.

Serpyllum.

Thymus Serpyllum Linn., planta in locis siccis apricis vulgaris. Labiatae.

Herba cum summitatibus florentibus (Herba Serpylli florida) caule tenui, prostrato, foliis oppositis, sessilibus, ovatis, integerrimis, supra laete virentibus, subtus pallidioribus, punctatis, utrinque glandulosis, basi ciliatis, floribus terminalibus verticillato-capitatis, rubellis, odoris fragrantis, saporis aromatici, subamaricantis.

Serum Lactis commune.

Rpe: **Lactis vaccini recentis**

grammata octingenta. 800

Ebulliant; sub initio ebullitionis adde

Aceti *grammata octo.* 8

Coagulatione peracta liquorem semirefrigeratum cola et cum ovi gallinacei albumine in spumam conquassato mixtum iterum coque. Novitus colato adde

Magnesii carbonici hydro-oxydati *q. s.*

ad neutralisationem acidi et deinde serum refrigeratum per chartam bibulam filtra.

Si serum lactis acidum requiritur, magnesium carbonicum omittatur.

Sinapis.

Sinapis nigra Linn., et indigena et culta. Cruciferae.

Semina subglobosa, millimetrum crassa, scrobiculata, extus ex fusco ferruginea, intus flava, triturando pulverem e subflavo viridescentem praebentia, qui aqua humectatus auram explicat volatilem, acerrimam, manducatus saporis ab initio subamari, oleosi, dein os acerrime urit. Ne adulteratum sit semen cum semine Brassicae Rapae *L.*, sesquimajore, laeviore, obscurius fusco, minus acri, nec semine Sinapis albae *L.*, majore et flavo.

Pulvis *(Farina seminum Sinapis)* recens paratus praesto sit.

† Solutio arsenicalis Fowleri.

Rpe: **Acidi arsenicosi**

Kalii carbonici *āā gramma unum.* 1

Sedulo tritis et commixtis adde

Aquae destillatae *grammata sexaginta.* 60

Coque in cucurbita, usque dum acidum arsenicosum perfecte solutum fuerit.

Solutioni refrigeratae adde

Aquae destillatae *q. s.*,

ut pondus totius liquoris sit

grammatum nonaginta. 90

Dein filtra.

Species Althaeae.

Rpe: **Foliorum Althaeae** *grammata mille,* 1000

Radicis Althaeae *grammata quingenta,* 500

„ „ **Liquiritiae** *grammata ducenta et quinquaginta,* 250

Florum Malvae *grammata centum.* 100

Conscissa et commixta serva.

Species amaricantes.

Rpe: **Herbae Absinthii**

„ „ **Centaurii minoris floridae**

Corticis Aurantiorum

āā grammata ducenta, 200

Foliorum Trifolii fibrini

Rhizomatis Calami

Radicis Gentianae *āā grammata centum,* 100

Corticis Cinnamomi

grammata viginti quinque. 25

Conscissa et contusa misceantur.

Species aromaticae.

Species resolventes.

Rpe: **Herbae Origani**
Foliorum Salviae
„ „ **Menthae crispae**
Florum Lavandulae *āā grammata centum.* 100
Conscissa misce.

Species aromaticae pro cataplasmate.

Rpe: **Specierum aromaticarum**
q. v.
Redige in pulverem grossum.

Species emollientes.

Rpe: **Foliorum Althaeae**
„ „ **Malvae**
Herbae Meliloti *āā grammata quingenta.* 500
Conscissis admisce
Seminum Lini contusorum
grammata mille. 1000

Species emollientes pro cataplasmate.

Rpe: **Specierum emollientium** *q. v.*
Contunde in pulverem grossiusculum.

Species laxantes St. Germain.

Rpe: **Foliorum Sennae sine resina minutim conscissorum**
grammata triginta quinque, 35

Florum Tiliae *grammata viginti,* 20
Fructuum Foeniculi *grammata decem,* 10
Kalii hydro-tartarici pulverati
grammata quinque. 5

Conscissa et contusa bene misce.

Species pectorales.

Species ad infusum pectorale.

Rpe: **Foliorum Althaeae** *grammata quadringenta,* 400
Radicis Liquiritiae
„ „ **Althaeae**
Hordei perlati
Siliquarum dulcium
Caricarum *āā grammata centum,* 100
Florum Verbasci
„ „ **Malvae**
„ „ **Papaveris Rhoeados**
Fructuum Anisi stellati
āā grammata decem. 10

Conscissa et contusa misceantur.

Spilanthus.

Spilanthus oleraceus Linn., planta in America australi et India orientali sponte crescens, apud nos in hortis culta. Compositae.

Herba florida caule ramoso, foliis cordato-ovatis, crenato-serratis, scabriusculis, petiolatis, triplinervatis, capitulis axillaribus solitariis, longe pedunculatis, subglobosis, multifloris, primum flavis, demum purpureofuscis. Herba masticata acerrima, urens, sialagoga.

Tinctura Spilanthi oleracei composita.

Spiritus Aetheris.

Liquor anodynus mineralis Hoffmanni. Spiritus Aetheris sulfurici.

Rpe: **Aetheris depurati** *grammata viginti quinque,* 25
Spiritus Vini 90% *grammata septuaginta quinque.* 75
Misce et in lagena bene clausa serva.
Sit liquor limpidus, ponderis spec. 0·820.
Spiritus Ferri chlorati.

Spiritus Anisi.

Rpe: **Fructuum Anisi vulgaris contusorum**
grammata quingenta, 500
Spiritus Vini 90% *grammatum duo millia,* 2000
Aquae communis *grammatum tria millia.* 3000
Macera per duodecim horas et abstrahe
grammatum tria millia. 3000

Spiritus aromaticus.

Spiritus Carmelitarum. Spiritus Melissae compositus.

Rpe: **Foliorum Melissae** *grammata quingenta,* 500
Corticis Citri fructuum
grammata ducenta, 200
Fructuum Coriandri *grammata trecenta,* 300
Seminum Cardamomi
Nucis moschatae
Corticis Cinnamomi *āā grammata octoginta.* 80
Conscissa et contusa infunde cum
Spiritus Vini 90% *grammatum duobus millibus et quingentis,* 2500

Aquae communis *grammatum quinque millibus.* 5000
Macera per duodecim horas et abstrahe
grammatum tria millia. 3000
Balsamum vitae Hoffmanni.

Spiritus camphoratus.

Spiritus Vini camphoratus.

Rpe: **Camphorae** *grammata centum,* 100
Spiritus Vini 70% *grammata nongenta.* 900
Stent in loco frigido saepius agitando, donec camphora soluta sit; deinde filtra et in lagena bene clausa serva.

Spiritus Carvi.

E fructibus carvi paretur, ut spiritus anisi.

Spiritus Cochleariae.

Rpe: **Foliorum Cochleariae recentium**
grammata sexcenta, 600
Spiritus Vini 90% *grammata octingenta,* 800
Aquae communis *grammata mille et sexcenta.* 1600
Abstrahe *grammata mille et ducenta.* 1200

Spiritus Ferri sesquichlorati aethereus.

Tinctura nervino-tonica Bestuschefii. Spiritus Aetheris ferrati. Liquor anodynus martiatus.

Rpe: **Ferri sesquichlorati crystallisati**
grammata quindecim, 15

Spiritus Aetheris *grammata centum octoginta.* 180

Misce conquassando in lagena vitrea bene clausa, stet per aliquot dies, dein liquorem a sedimento separa et limpidum in lagena epistomeo vitreo bene obturata serva.

Sit coloris expers vel flavescens, saporis styptici ferrosi.

Spiritus Lavandulae.

Rpe: **Florum Lavandulae siccatorum** *grammata trecenta,* 300
Spiritus Vini 90% *grammata mille,* 1000
Aquae communis *grammatum duo millia.* 2000

Macera per duodecim horas et abstrahe *grammata mille et ducenta.* 1200

Spiritus Menthae piperitae.

E foliis menthae piperitae paretur, ut spiritus lavandulae.

Spiritus Rosmarini.

E foliis rosmarini paretur, ut spiritus lavandulae.

Spiritus saponatus.

Rpe: **Saponis veneti** *grammata centum et viginti quinque,* 125
Spiritus Vini 90% *grammata septingenta et quinquaginta,* 750
Olei Lavandulae *grammata duo,* 2

Aquae destillatae *grammata ducenta et quinquaginta.* 250

Digere et filtratum serva.

Spiritus Sinapis.

Rpe: **Olei Sinapis aetherei**
gramma unum, 1

solve in

Spiritus Vini 90% *grammatibus quinquaginta.* 50

Servetur in vase bene clauso.

Paretur ex tempore.

Spiritus Vini concentratus.

Spiritus Vini rectificatissimus.

Sit aquae instar limpidus, decolor, odoris et saporis mere spirituosi, ab omni inquinatione fermentolei liber. Contineat in temperatura 15° C. (12° R.) in 100 partibus voluminis 90 voluminis partes alcoholis.

Pondus specificum = 0·8336.

Spiritus Vini dilutus.

Rpe: **Spiritus Vini 90% temperaturae 15° C.**
100 volumina,

misce cum

Aquae destillatae ejusdem temperaturae
31·05 voluminibus;

vel

Ejusdem Spiritus *100 pondera*

cum

Aquae destillatae *37·18 ponderibus.*

Continet in 100 partibus voluminis 70 partes alcoholis.

Pondus specificum = 0·892.

Spongia pressa.

Spongia praeparata.

Rpe: **Spongias marinas tenues,**
coctione in
Aqua communi
mundatas et siccatas prelo fortiter comprime et compressas serva.

† Stibium chloratum.

Chloretum Stibii seu Antimonii. Stibium sesquichloratum. Murias Stibii. Antimonium chloratum. Butyrum Antimonii. Causticum antimoniale.

Rpe: **Stibii sulfurati nigri pulverati**
grammata centum, 100
Acidi hydro-chlorici concentrati crudi
grammata quadringenta. 400

Leniter calefiant in cucurbita vitrea, donec omnis gasis evolutio cessaverit. Gas hydro-sulfuratum durante solutione evolutum sive in aquam inducas, sive in fornacem deductum comburas.

Solutione perfecta liquor in vas porcellaneum defusus leni calore evaporet, donec pars exemta et refrigerata in crystallos concrescat, tum infunde liquorem adhuc calidum in retortam vitream, tubo munitam et optime siccatam, ex qua destillet in excipulum aqua

refrigeratum. Durante destillatione curam habeas, ne vapores jam in collo retortae ad crystallos concrescant, quod facile evitatur carbonibus quibusdam candentibus in vicinitate colli positis.

Praeparatum obtentum in lagena collo amplo instructa et epistomeo vitreo optime claudenda serva.

Massa crystallina, decolor vel parum flavescens, aëre humido diffluit, in spiritu vini ex integro solvitur; solutio aqua admixta turbetur et praecipitatum album in acido tartarico perfecte solubile demittat. Sub temperatura 72° liquescit, versus 230° ebullit.

Stibium sulfuratum aurantiacum.

Sulfur auratum Antimonii. Oxydum Stibii hydro-sulfuratum aurantiacum. Sulfur stibiatum aurantiacum. Antimonium sulfuratum.

Rpe: **Natrii carbonici crystallisati**
grammata mille nongenta, 1900

in lebetem ferreum immissa solve in

Aquae communis fervidae
grammatum octo millibus et quadringentis. 8400

Tum adde pultem paratam ex

Calcii oxydati *grammatibus quadringentis et viginti,* 420

Aquae communis *grammatum duobus millibus et quingentis.* 2500

Ad ebullitionem evectis admisce

Sulfuris *grammata ducenta et decem,* 210

Stibii sulfurati nigri subtilissime pulverati
grammata sexcenta et triginta. 630

Coque, aquam evaporatione amissam restituendo, donec color griseus disparuerit.

Lebes obtectus seponatur, donec sedimentum fundum petat, tum liquor limpidus abstrahatur et evaporando in crystallos redigatur, quae cum pauxillo natrii hydro-oxydati soluti laventur.

Crystallorum *grammata trecenta quinquaginta* 350

solvantur in

Aquae destillatae *grammatum duobus millibus* 2000

et misceantur cum

Acidi sulfurici concentrati puri *grammatibus centum et quinque* 105

diluti cum

Aquae destillatae *grammatum quatuor millibus et trecentis.* 4300

Praecipitatum aurantiacum subsidendo et abluendo bene edulcoratum, leni calore siccatum in vitro bene clauso et luci impervio serva.

Sit pulvis subtilissimus, rubro-aurantiacus, valde depingens, odoris expers, insipidus, facile solvatur in solutione natrii hydro-oxydati et quidem ex toto, in acido hydro-chlorico sulfure derelicto.

Stibium sulfuratum nigrum.

Antimonium crudum.

Sistit frusta ponderosa, e nigro grisea, ex crystallis acicularibus, metallice splendentibus, friabilibus composita, in aëre immutabilia, leni igne liquescentia.

Acido hydro-chlorico affuso gas hydro-sulfuratum emittunt.

Nonnisi ab arsenico liberum admittitur.

Stramonium.

Datura Stramonium Linn., planta annua inter herbas ruderales obvia, apud nos quasi indigena. Solanaceae.

Folia longe petiolata, late ovato-acuminata, sinuato-dentata, supra saturate viridia, subtus pallidiora, in nervis puberula, odoris narcotici (praeprimis herbae recentis), saporis amari nauseosi. Colligenda e planta florescente et caute nec ultra annum servanda.

† Strychninum.

Strychnium.

Crystalli prismaticae quadrilaterales, vel octaëdricae rectangulares, decolores, saporis amarissimi, reactionis alcalinae, in acidis facile solubiles. Solvuntur in partibus 2500 aquae bullientis, in 120 spiritus vini frigidi, in bullientis 10; in alcohole absoluto et in aethere non solvuntur, facile vero in chloroformio et in oleis quibusdam aethereis.

Acido nitrico concentrato non tingitur; cum acido sulfurico concentrato puro exhibet solutionem decolorem, quae vero per contactum cum crystallulo acidi chromici colore violaceo sive intense caeruleo tingitur.

† Strychninum nitricum.

Strychnium nitricum. Nitras strychnicus.

Crystalli graciles, albae, sericeo splendentes, saporis amarissimi solvuntur in partibus 50 aquae frigidae, in 2 bullientis, in 60 spiritus vini frigidi, in 2 fervidi, in 26 glycerini. Solutio aquosa colorem chartae exploratoriae non mutat, addita solutione kalii hydro-oxydati praecipitatum deponit, quod kalio hydro-oxydato abundante non solvitur.

Ignitum intumescit et deflagrat, nihil residui relinquens.

Succus Liquiritiae.

Succus venalis substantiis heterogeneis, imo nocivis, imprimis cupro inquinatus esse solet, ideo solvendo in aqua frigida et liquorem filtratum evaporando purgandus est.

Pasta Liquiritiae flava.

Sulfur praecipitatum.

Lac Sulfuris. Magisterium Sulfuris.

Rpe: **Calcii oxydati recenter usti**
grammata ducenta. 200

In lebete ferreo cum

Aquae communis *grammatibus mille ducentis* 1200

in pultem redactis admisce

Sulfuris sublimati *grammata quingenta,* 500

Aquae communis *grammatum quinque millia.* 5000

Mixta sub continua agitatione coquantur per horam, aquam evaporatam subinde restituendo. Dein

defunde liquorem in lagenam post refrigerationem optime claudendam et residuum denuo cum

Aquae communis *grammatum tribus millibus* 3000

per semihoram coque.

Hunc quoque liquorem in lagenam defunde, e qua sedimento deposito siphonis ope limpidum abstrahe in vas satis capax, huicque admisce sub continua agitatione

Acidi hydro-chlorici concentrati puri
q. s. (circiter grammata septingenta)

cum **Aquae destillatae** *triplo pondere*

diluti, habita cura, ut liquor debilem reactionem alcalinam adhuc conservet.

Praecipitatum inde natum a liquore supernatante sine mora separa, aqua destillata elue, donec defluens nec argento nitrico, nec ammonio oxalico turbetur, demum in loco tepido sicca et in pulverem subtilissimum redactum serva.

Sit pulvis amorphus, albidus, reactionis neutrius, igne penitus deflagret.

Sulfur sublimatum.

Flores Sulfuris. Sulfur depuratum.

Pulvis citrinus, subtilis, siccissimus, qui cum ammonia quassatus et filtratus liquorem decolorem praebeat, post evaporationem nihil residui relinquentem.

Sulfur sublimatum ab acido sulfurico adhaerente purgetur lotione iterata cum aqua destillata, donec reactio acida penitus disparuerit. Sulfur lotum in linteo

collectum prelo fortiter exprimatur, optime siccetur et per cribrum trajectum servetur.

Sapo sulfuratus. Unguentum sulfuratum.

Syrupus Acetositatis Citri.

Syrupus Citri.

Rpe: **Succi fructuum Citri recentium expressi, sedimentatione et filtratione depurati**
grammata centum, 100
Sacchari *grammata centum et sexaginta.* 160

Unica ebullitione coque in syrupum.

Syrupus Althaeae.

Rpe: **Radicis Althaeae conscissae**
grammata viginti, 20
Aquae communis frigidae
grammata trecenta. 300

Macera per bihorium saepius agitando, tunc cola sine expressione et in colatura
grammatum ducentorum et quinquaginta 250
solve unica ebullitione
Sacchari *grammata quadringenta.* 400

Syrupus amygdalinus.

Syrupus emulsivus.

Rpe: **Amygdalarum dulcium decorticatarum**
grammata octoginta. 80

Amygdalarum amararum decorticatarum
grammata viginti. 20

In mortarium altum immissas cum

Sacchari pulverati *grammatibus centum et viginti* 120

contunde in pultem aequabilem, tum sensim inter assiduam triturationem admisce

Aquae communis *grammata ducenta,* 200

ut fiat emulsio concentratissima.

Colaturae per pannum laneum expressae adde

Sacchari pulverati *grammata ducenta.* 200

Sub continua agitatione fiat syrupus.

Syrupus Aurantiorum corticum.

Rpe: **Flavedinis corticum Aurantiorum**
Spiritus Vini 70% *āā grammata triginta,* 30
Aquae communis *grammata trecenta.* 300

Digere per nycthemerum in vase clauso.

Colatura expressa *grammatum ducentorum et quinquaginta* 250

cum

Sacchari *grammatibus quadringentis* 400

unica ebullitione coquatur in syrupum, cui refrigerato admisce

Tincturae Aurantiorum corticum
grammata triginta. 30

Syrupus Capillorum Veneris.

Rpe: **Frondium Capillorum Veneris conscissarum**
grammata decem, 10

Aquae communis fervidae
grammata centum et viginti, 120

infunde per horam.

Colaturam *grammatum centum* 100

coque cum

Sacchari *grammatibus centum et sexaginta* 160

clarificando in syrupum, cui admisce

Aquae Aurantii florum
grammata duo. 2

Syrupus Cinnamomi.

Rpe: **Corticis Cinnamomi ruditer tusi**
grammata viginti quinque, 25

Aquae Cinnamomi spirituosae
grammata centum et viginti quinque, 125

digere in vase clauso per viginti quatuor horas et in

Colatura expressa *grammatum centum* 100

solve

Sacchari *grammata centum et sexaginta.* 160

Unica ebullitione coque in syrupum.

Syrupus Diacodii.

Syrupus Papaveris albi.

Rpe: **Capsularum Papaveris contusarum**
grammata quinquaginta, 50

Radicis Liquiritiae conscissae
grammata viginti quinque, 25

Aquae communis fervidae
grammata trecenta et quinquaginta. 350

Stent per duas horas; in

Colatura *grammatum ducentorum et quinquaginta* 250

solve

Sacchari *grammata quadringenta.* 400

Clarificando coque in syrupum.

Syrupus Ferri jodati.

Rpe: **Jodi** *grammata novem,* 9
Ferri pulverati *grammata tria,* 3
Aquae destillatae *grammata viginti quatuor.* 24

In lagenam immissa solve continua agitatione. Solutionem dilute viridem filtra, filtrum elue cum

Aquae destillatae *grammatibus duodecim.* 12

Liquoribus filtratis admisce

Sacchari *grammata quadraginta octo.* 48

Leni calore solve. Pondus solutionis sit
grammatum nonaginta. 90

Syrupi partes 100 continent partes 12 ferri jodati.

Ex tempore paretur.

Syrupus mannatus.

Syrupus Sennae cum Manna.

Rpe: **Foliorum Sennae** *grammata triginta quinque,* 35
Fructuum Anisi stellati
grammata duo, 2

Aquae communis fervidae
grammata trecenta et quinquaginta. 350

Infunde per bihorium et in liquore expresso et colato *grammatum ducentorum et quinquaginta* 250

solve **Sacchari** *grammata quadringenta,* 400

Mannae *grammata centum.* 100

Clarificando coque in syrupum.

Hydromel infantum.

Syrupus Mororum.

Rpe: **Fructuum Mori recentium**
grammatum tria millia. 3000

In pultem redactis adde

Sacchari *grammata ducenta.* 200

Stent per aliquot dies, donec fermentatio vinosa peracta sit, deinde exprime per sacculum linteum et

Succi subsidendo depurati
grammata centum 100

coque cum

Sacchari *grammatibus centum et sexaginta* 160

unica ebullitione in syrupum.

Syrupus Rhei.

Rpe: **Radicis Rhei** *grammata viginti quinque,* 25

Kalii carbonici depurati *gramma dimidium,* 0·5

Aquae communis fervidae
grammata trecenta. 300

Stent in infusione per horam.

Colaturae fortiter expressae
grammatum ducentorum et quinquaginta 250

adde

Sacchari *grammata quadringenta.* 400

Clarificando coque in syrupum.

Syrupus Ribium.

E fructibus ribis in pultem redactis paretur ut syrupus mororum.

Syrupus Rubi Idaei.

Paretur e fructibus rubi idaei ut syrupus mororum.

Syrupus simplex.

Syrupus Sacchari.

Rpe: **Sacchari** *grammata quadringenta,* 400
Aquae communis *grammata ducenta et quinquaginta.* 250

Coquendo fiat syrupus.

Emulsio oleosa. Pasta dentifricia.

Tabulae de Althaea.

Rpe: **Pulveris radicis Althaeae**
grammata quinquaginta, 50
„ **Sacchari** *grammata quingenta,* 500
Aquae Aurantii florum
grammata quinque, 5
Aquae communis *q. s.,*

ut fiat pasta, quae bene subacta et depsta extendatur in laminam tenuem, quae in tabulas scissa siccetur.

Tamarindus.

Tamarindus indica Linn., arbor in India orientali nec non in Africae borealis tropicis subtropicisque sponte nascens, in insulis antillanis culta. Caesalpineae.

Pulpa leguminum, sub nomine Fructus Tamarindi plerumque nota, sistit substantiam carnosam, intra pericarpium crustaceum fragile et endocarpium corneum sitam et, ut venumdatur, refert massam irregularem fusco-nigram, tenacem, e pulpa ipsa adhaerente endocarpio et seminibus duris splendentibus, fuscis, compressis interpositis, nec non fibrillis lignosis quandoque intextis conflatam, odoris acido-vinosi, saporis valde acidi. Cave, ne sit cupro inquinata.

Pulpa depurata.

Taraxacum.

Leontodon Taraxacum Linn., *Taraxacum officinale Wigg.*, planta cosmopolita, in vulgus nota. Compositae.

Folia radicalia caespitosa, oblonga vel lineari-lanceolata, polymorpha, runcinato-pinnatifida, dentata vel integerrima, glabra vel juxta nervum medium pubescenti-scabra vel lanuginosa. Colligantur vere ante scapi floriferi perfectam evolutionem in solo pingui nascentia.

Extractum.

Radix multiceps, tridecimetralis, basi ad duo et dimidium centimetra crassa, cylindrico-fusiformis, api-

cem versus sensim attenuata, longitudinaliter sulcata, extus rubro-fusca; cortice crasso, intus albido, fungoso; ligno citrino, poroso; sapore amaro. Fodiatur sero autumno et caute siccata servetur.

Extractum.

Terebinthina.

Terebinthina communis.

Pinus sylvestris Linn. et aliae Pini et Piceae species, arbores in Europa et America boreali indigenae. Coniferae. Abietineae.

Balsamum naturale e truncis vulneratis effluens spissum, granulosum, tenax, lentum, albidum vel ochroleucum, odoris proprii, penetrantis, saporis amariusculi, irritantis.

Emplastrum Cantharidum ordinarium et perpetuum. Emplastrum Conii maculati. Emplastrum de Meliloto. Emplastrum diachylon compositum. Emplastrum Hydrargyri. Emplastrum oxycroceum.

Thea.

Thea viridis Linn., frutex in China et Indiae orientalis regno Assam indigenus, ibidem, nec non in Japonia, Java, Brasilia aliisque terris tropicis sedulo cultus. Ternstroemiaceae.

Folia diversimode siccata. Secundum colorem aut nigricantem aut viridescentem, e siccandi ratione pendentem duo maxime mercis genera distinguuntur, quae pro vario adspectu et odore in numerosas

discedunt varietates. Varietatum nigricantium, vulgo Thea russica dictarum, optima celebratur Pekko, referens folia duo usque sex centimetra longa, elliptico-oblonga, margine serrulata, interdum bina-quaterna ramulo adhuc adhaerentia, subcoriacea, olivaceo-pulla, juniora subtus argenteo-tomentosa, supra glabra, involuta, adultiora subtus praecipue ad nervum medium pilosa, supra glabra, pleraque margine revoluta.

Tilia.

Tilia grandifolia Ehrh. et Tilia parvifolia Ehrh., arbores indigenae. Tiliaceae.

Cymae floridae (Flores Tiliae) pedunculo tri-sex-floro, basi partim cum bractea herbaceo-membranacea, albida, lineari oblonga, integerrima, reticulato-venosa connato, florum calice pentaphyllo deciduo, corolla pentapetala albide lutescente, staminibus plurimis albidis, corollam superantibus. Odor recentium suavis, siccatarum fere nullus, sapor dulciusculus.

Species laxantes St. Germain.

Tinctura Absinthii composita.

Rpe:	**Herbae Absinthii**	*grammata quinquaginta,*	50
	Corticis Aurantiorum	*grammata viginti,*	20
	Rhizomatis Calami		
	Radicis Gentianae	*āā grammata decem,*	10
	Corticis Cinnamomi	*grammata quinque.*	5
	Conscissis et contusis affunde		
	Spiritus Vini 70%	*grammata quingenta.*	500

Digere saepius conquassando per dies sex. Tincturam exprime et filtra.

† Tinctura Aconiti.

Rpe: **Tuberum Aconiti siccatorum et ruditer contusorum**
grammata viginti, 20
Spiritus Vini 70% *grammata centum.* 100

Digere per triduum saepius agitando.
Exprime et filtra.

Tinctura amara.

Tinctura stomachica.

Rpe: **Foliorum Trifolii fibrini**
Herbae Centaurii floridae
Radicis Gentianae
Corticis Aurantiorum
āā grammata decem, 10
Natrii carbonici crystallisati
grammata quinque, 5
Aquae Cinnamomi spirituosae
grammata quingenta. 500

Digere per triduum, exprime et filtra.

Tinctura Arnicae.

Rpe: **Rhizomatis Arnicae siccatae**
grammata sexaginta, 60
Foliorum Arnicae siccatorum
grammata triginta, 30

Florum Arnicae siccatorum
grammata decem. 10

Conscissis et contusis affunde

Spiritus Vini 70% *grammata quingenta,* 500

digere per aliquot dies, exprime et filtra.

Tinctura Aurantiorum corticis.

E flavedine corticis aurantiorum conscissa paretur ut tinctura aconiti.

Syrupus Aurantiorum.

† Tinctura Belladonnae.

Paretur e radice belladonnae floridae siccata et contusa ut tinctura aconiti.

Tinctura Benzoës.

Rpe: **Benzoës** *grammata quinquaginta,* 50

Spiritus Vini 90% *grammata ducenta et quinquaginta.* 250

Digere ad perfectam solutionem, deinde filtra.

Emplastrum anglicanum.

† Tinctura Cantharidum.

Rpe: **Cantharidum pulveratarum**
grammata quinquaginta, 50

Spiritus Vini 90% *grammata ducenta et quinquaginta.* 250

Digere per triduum, exprime et filtra.

Tinctura Chamomillae.

E floribus chamomillae vulgaris conscissis paretur ut tinctura aconiti.

Tinctura Cinnamomi.

E cortice cinnamomi grosse tuso paretur ut tinctura aconiti.

† Tinctura Colchici.

E seminibus colchici contusis paretur ut tinctura aconiti.

† Tinctura Digitalis.

E foliis digitalis purpureae siccatis et conscissis paretur ut tinctura aconiti.

Tinctura Guajaci.

E resina guajaci contusa paretur ut tinctura benzoës.

Tinctura Ipecacuanhae.

E radice ipecacuanhae ruditer tusa paretur ut tinctura aconiti.

Tinctura Jodi.

Rpe: **Jodi** *grammata decem,* 10
Spiritus Vini 90% *grammata centum et sexaginta,* 160

solve terendo in mortario vitreo.

Liquorem limpidum defusum serva in lagena vitrea bene clausa.

Tinctura Lobeliae.

Ex herba lobeliae inflatae conscissa paretur ut tinctura aconiti.

Tinctura Malatis Ferri.

Tinctura Ferri pomati.

Rpe: **Extracti Malatis Ferri** *grammata viginti,* 20
Aquae Cinnamomi spirituosae *grammata centum.* 100

Solve et filtra.

Tinctura Myrrhae.

E myrrha grosse tusa paretur ut tinctura benzoës.

† Tinctura Nucis vomicae.

Paretur e seminibus nucis vomicae pulveratis ut tinctura aconiti.

† Tinctura Opii crocata.

Laudanum liquidum Sydenhami.

Rpe: **Croci** *grammata decem,* 10

Aquae Cinnamomi spirituosae *grammata centum.* 100

Macera in vase bene clauso ad perfectam croci extractionem, dein cum expressione cola.

Liquoris denis partibus adde

Opii siccati grosse tusi *partem unam.*

Stent per octiduum saepius agitando, donec opium, quantum fieri potest, solvatur; tunc iterum exprime et filtra.

† Tinctura Opii simplex.

Tinctura anodyna simplex.

Rpe: **Opii siccati grosse tusi** *grammata viginti,* 20

Spiritus Vini 70% *grammata ducenta.* 200

Stent per octiduum saepius agitando, donec opium, quantum fieri potest, solvatur; tunc exprime et filtra.

Tinctura Ratanhae.

E radice ratanhae pulverata paretur ut tinctura aconiti.

Tinctura Rhei aquosa.

Infusum Rhei cum Natrio carbonico.

Rpe: **Radicis Rhei conscissae**
grammata decem, 10
Natrii carbonici crystallisati
grammata tria, 3
Aquae destillatae fervidae
grammata centum et quinquaginta, 150

infunde per quadrantem horae, deinde exprime et liquorem refrigeratum filtra.

Tinctura Rhei vinosa Darelli.

Rpe: **Radicis Rhei contusae**
grammata viginti, 20
Flavedinis corticis Aurantiorum conscissae
grammata quinque, 5
Seminum Cardamomi contusorum
grammata duo, 2
Vini Malagensis *grammata ducenta.* 200

Digere per triduum, exprime et in liquore solve
Sacchari pulverati *grammata triginta.* 30
Solutione peracta filtra.

Tinctura Spilanthi oleracei composita.

Tinctura Paraguay-Roux.

Rpe: **Herbae Spilanthi oleracei florentis et recentis**
grammata quadraginta, 40
Radicis Pyrethri grosse tusae
grammata viginti, 20

Spiritus Vini 90% *grammata centum et viginti.* 120
Digere per triduum. Exprime et filtra.

Tinctura Valerianae.

E radicibus valerianae pulveratis paretur ut tinctura aconiti.

† Tinctura Veratri albi.

E rhizomate cum radicibus veratri albi grosse tusis paretur ut tinctura aconiti.

Trifolium fibrinum.

Menyanthes trifoliata Linn., planta in nostris aquis stagnantibus et pratis paludosis indigena. Gentianeae.

Folia (Folia Trifolii fibrini) radicalia, ternata, petiolata, subsucculenta, petiolis vaginantibus, foliolis obovatis, obtusis, subcrenatis, laete viridibus, glabris, inodoris, admodum amaris. Siccata serventur.

Extractum. Species amaricantes. Tinctura amara.

Trochisci Ipecacuanhae.

Rpe: **Pulveris radicis Ipecacuanhae**
gramma dimidium, 0·5
Sacchari *grammata quinquaginta,* 50
Aquae communis *q. s.,*
ut fiat massa, e qua formentur trochisci *centum.*

Trochisci Santonini.

Rpe: **Santonini pulverati** *grammata quinque,* 5
Sacchari *grammata centum,* 100
Aquae communis *q. s.,*
ut fiat massa, e qua formentur trochisci *centum.*

Unguentum aromaticum.

Ungentum nervinum.

Rpe: **Herbae Absinthii** *grammata centum viginti quinque,* 125
Spiritus Vini 70% *grammata ducenta et quinquaginta,* 250
in pultem contusa digere per aliquot horas, dein calefiant cum
Axungiae Porci *grammatibus mille* 1000
ad consumtionem humidi et cola.

In colatura liquescant
Cerae flavae *grammata ducenta et quinquaginta,* 250
Olei Lauri *grammata centum et viginti quinque.* 125

Colatis et refrigeratis adde
Olei Juniperi
„ **Menthae crispae**
„ **Rosmarini**
„ **Lavandulae** *āā grammata decem.* 10

Misce in unguentum.

Unguentum Autenrietbi.

Unguentum Tartari stibiati. Unguentum Tartari emetici.

Rpe: **Kalii stibio-tartarici subtilissime pulverati** *grammata decem,* 10
Axungiae Porci *grammata quadraginta.* 40
Misce exactissime.
Ex tempore parandum.

Unguentum Cerussae.

Unguentum album simplex.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata ducenta,* 200
Emplastri diachylon simplicis *grammata quadraginta,* 40
colliquefactis et refrigeratis admisce sub continua agitatione
Plumbi carbonici subtiliter pulverati *grammata centum et viginti.* 120

Unguentum emolliens.

Crême céléste.

Rpe: **Cerae albae** *grammata decem,* 10
Cetacei *grammata viginti,* 20
Olei Amygdalarum dulcium *grammata octoginta.* 80
Liquefactis et semirefrigeratis adde
Aquae Rosarum *grammata viginti.* 20

Unguentum Glycerini.

Rpe: **Amyli** *grammata quatuor,* 4
successive addendo
Glycerini *grammata sexaginta* 60
misce et in patina porcellanea sub continua agitatione leni calore calefaciendo in massam gelatinosam, diaphanam redige.

Unguentum Hydrargyri.

Unguentum mercuriale. Unguentum neapolitanum. Unguentum Hydrargyri cinereum.

Rpe: **Hydrargyri** *grammata quadringenta* 400
Sebi ovilis
Axungiae Porci *āā grammata ducenta.* 200

Assidue triturando hydrargyrum exstingue, ut globuli metallici non amplius appareant, dein sensim et intime admisce

Axungiae Porci colatae et refrigeratae
grammata quadringenta. 400

Unguentum Juniperi.

Rpe: **Fructuum Juniperi contusorum et aqua humectatorum** *grammata ducenta et quinquaginta,* 250
Axungiae Porci *grammata quingenta.* 500

Coque ad consumtionem humidi, deinde exprime et adde

Cerae flavae *grammata octoginta.* 80

Liquefacta colentur et unguento refrigerato admisceantur

Olei Juniperi *grammata viginti.* 20

Unguentum Plumbi acetici.

Unguentum saturninum. Unguentum Lithargyri.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata trecenta,* 300
Cerae albae *grammata centum.* 100

Colliquefactis, colatis et semirefrigeratis adde successive sub continua agitatione

Plumbi acetici *grammata sex* 6

soluta in

Aquae destillatae *grammatibus viginti.* 20

Misce.

Unguentum pomadinum.

Unguentum rosatum.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata sexcenta* 600

lotae in

Aquae Rosarum *s. q.,*
Cerae albae *grammata centum et quinquaginta.* 150

Colliquefactis, colatis et semirefrigeratis adde

Olei Bergamottae
„ **Caryophyllorum** *āā grammata tria.* 3

Fiat unguentum.

Unguentum Sabadillae.

Unguentum contra pediculos. Ungentum ad phthiriasim.

Rpe: **Unguenti simplicis leni igne liquefacti** *grammata ducenta,* 200

adde

Pulveris fructuum Sabadillae *grammata quinquaginta,* 50

Olei Lavandulae *grammata duo.* 2

Misce in unguentum.

Unguentum simplex.

Rpe: **Axungiae Porci** *grammata ducenta,* 200

Cerae albae *grammata quinquaginta.* 50

Colliquefacta et colata sub continua agitatione refrigescant.

Unguentum sulfuratum.

Unguentum ad scabiem.

Rpe: **Picis liquidae**

Sulfuris sublimati *āā grammata triginta,* 30

Cretae albae pulveratae *grammata viginti,* 20

Saponis kalini

Axungiae Porci *āā grammata sexaginta.* 60

Misce.

Uva Ursi.

Arctostaphylus officinalis Wimm. et Grab., *Arbutus Uva ursi Linn.*, fruticulus sempervirens, in montibus calcareis Europae crescens. Ericineae.

Folia obovato-cuneiformia, apice subrecurva, integerrima, glabra, rigide coriacea, utrinque nitida et reticulata, supra saturate viridia, subtus pallidiora, inodora, saporis adstringentis et subamari. Siccata serventur. Ne confundantur cum foliis Vaccinii Vitis Idaeae, nonnihil majoribus, margine revolutis, subtus fusco-punctatis, vel cum foliis Vaccinii uliginosi nec nitidis nec coriaceis.

Valeriana.

Valeriana officinalis Linn., planta in silvis et ad sepes Europae crescens. Valerianeae.

Radices e rhizomate ad quatuor centimetra longo, duo et dimidium centimetra crasso undique oriundae, copiosae, longae, ad duo millimetra crassae, teretes, recentes sordide albae vel ochroleucae, siccatae e cinereo fuscae, striatae, cortice intus subfusco lignoque tenui pallidiore compositae. Odor peculiaris, in sicca multo vehementior, quam in recenti, pluribus ingratus, sapor acri-aromaticus, amaritie aliqua junctus. Fodiatur radix vere in locis montanis siccis. Servanda in vasis bene clausis.

Tinctura.

Vanilla.

Vanilla planifolia Andrews, planta suffruticosa scandens in America tropica, imprimis in Mexico et indigena et culta. Orchideae.

Fructus capsularis (Siliqua Vanillae) siliquaeformis, decimetrum unum et semis usque ad decimetra tria longus, quinque ad duodecim millimetra latus, compressus, leviter incurvus, striatus, flexilis, utrimque attenuatus, saepius crystallis exiguis obtectus, coloris atro-fusci unilocularis, pulpa farctus granulosa pingui, semina innumera nigra includente, saporis grate aromatici, odoris balsamo peruviano similis.

Pasta Liquiritiae flava.

† Veratrinum.

Veratrium.

Pulvis albus, saporis admodum acris, inodorus quidem, sed sternutationem vehementem excitans, reactionis alcalinae, calore ad massam resinae similem liquescens, ignitus sine residuo combustibilis, solvitur facile in spiritu vini et in chloroformio, difficilius in aethere, vix in aqua.

Acido sulfurico concentrato humectatum colorem induit initio flavum, post sanguineum, demum violaceum.

Veratrum.

Veratrum album Linn., planta in Europa monticola, subalpina et alpina. Melanthaceae.

Rhizoma (Radix Veratri albi, Radix Hellebori albi) conicum, ad octo centimetra longum, superne duo ad quinque centimetra latum, non raro multiceps, foliis dissectis breviter comatum, extus e subnigro vel e subfusco cinereum, obsolete annulatum, radicibus undique frequentissimis elongatis, teretibus, extus ex albo flavescentibus, cortice spongioso a ligno albido facile secedente. Odor nullus, masticatum sensationem prolicit urentissimam; pulvis sternutamentum vehementissimum movet. Rhizoma unacum radicibus integris cortice instructis caute servandum.

† *Tinctura.*

Verbascum.

Verbascum phlomoides Linn. et aliae proxime affines species, imprimis *Verbascum thapsiforme Schrad.*, indigenae. Scrofularineae.

Corollae (Flores Verbasci) rotatae, quinque partitae, sat magnae, aureo-flavae, cum staminibus quinque albido villosis, quorum superiora tria breviora, inferiora duo longiora, anthera longe decurrente, odoris recentium ingrati, siccatarum suavis, mellei, saporis dulcis, mucilaginosi. Sicco coelo corollae a calicibus liberatae colligendae, ad fragilitatem usque siccatae in vasis antea calefactis bene obturandis servandae.

Species pectorales.

† Vinum Colchici.

Rpe: **Seminum Colchici optime contusorum**
grammata decem, 10

Vini Malagensis *grammata quinquaginta.* 50

Digere per sex dies saepius agitando, exprime et filtra.

† Vinum stibiato-tartaricum.

Vinum emeticum. Vinum Antimonii.

Rpe: **Kalii stibio-tartarici** *centigrammata decem,* 0·10

Vini Malagensis *grammata viginti et quinque.* 25

Solve et serva in vase bene clauso.

Zedoaria.

Curcuma Zedoaria Rosc., planta in Asia tropica indigena. Zingiberaceae.

Rhizoma (Radix Zedoariae) sistit cormum ovalem, annulatum, ad duo et dimidium centimetra crassum, radicibus corticeque exteriore resectis, per transversum, interdum per longitudinem sectum, compactum, durum, ponderosum, tenacem, colore griseo-albido vel ochroleuco, receptaculis parvis resiniferis scatentem, odoris fragrantis, saporis grate aromatici, subcamphorati. Merx levis, insectis exesa rejiciatur.

Acetum aromaticum.

Zincum aceticum.

Acetas Zinci seu zincicus.

Rpe: **Zinci carbonici, quale sub praeparatione Zinci oxydati obtinetur,** *grammata quinquaginta,* 50

solve in

Acidi acetici diluti *q. s.*

leni calore. Solutionem adhuc calidam filtra et ad crystallisationem sepone habita cura, ut acidum aceticum praevaleat.

Crystalli enatae inter chartam bibulam sub temperatura ordinaria siccentur. Liquor residuus lenta evaporatione denuo in crystallos redigatur.

Crystalli tenerae, prismaticae vel tabulaeformes, decolores, in aquae frigidae partibus tribus, in bullientis parte dimidia solvuntur, calefactae liquescunt.

Solutio aquosa ammonio hydro-sulfurato tentata praecipitatum mere album demittat et, quodsi acido hydro-sulfurato supersaturatur ad perfectam zinci praecipitationem, liquor residuus evaporet, quin substantias igni resistentes relinquat.

Zincum chloratum.

Zincum hydro-chloricum. Chloretum Zinci. Zincum muriaticum. Murias Zinci.

Rpe: **Zinci granulati** *grammata centum,* 100

solve in

Acidi hydro-chlorici diluti

q. s. (*grammatibus circiter* 900)

habita cura, ut zinci aliquid non soluti remaneat. Per liquorem defusum trajice torrentem gasis chlori, donec sit saturatus, dein calefiat ad ebullitionem addendo partitis vicibus

Zinci oxydati *gramma unum.* 1

Stet, donec oxydum ferri praecipitatum subsideat.

Liquor defusus et, si opus sit, per amianthum filtratus evaporet leni calore additis

Acidi hydro-chlorici diluti

grammatibus tribus, 3

usque dum pars exemta et refrigerata in crystallos concrescat.

Massam crystallinam obtentam in vitris siccatis et optime clausis serva.

Sit album, molle, in aqua et spiritu vini facillime solubile, aëre humido diffluat.

Solutio aquosa ammonia abundante addita nullum sedimentum deponat.

Zincum granulatum.

Rpe: **Zinci venalis** *q. v.*

Fluat in crucibulo ignito per dimidiam horam addendo sub assidua agitatione ope bacilli lignei frusta quaedam sulfuris et sebi ovilis. Metallum liquatum fac guttare in dolium aqua repletum, refrigeratum collige et siccatum serva.

In adparatu Marshii tentatum vestigia arsenici ne prodat.

Zincum oxydatum.

Oxydum Zinci. Flores Zinci. Nihilum album. Pompholix.

Rpe: **Natrii carbonici crystallisati**

grammata trecenta et viginti, 320

solve in

Aquae destillatae *grammatibus mille octingentis.* 1800

Liquori filtrato et ad ebullitionem calefacto instilla solutionem ex

Zinci sulfurici *grammatibus trecentis* 300
Aquae destillatae *grammatibus nongentis* 900

paratam.

Instillatione peracta liquor adhuc ebulliat, donec praecipitatum initio gelatinosum in pulverulentum, facile residens mutatum fuerit. Liquore supernatante defuso praecipitatum iteratis vicibus aqua destillata fervida edulcoretur, usque dum liquor filtratus baryo chlorato non amplius turbetur, dein perfecte siccetur.

Massam siccatam immitte in crucibulum hassianum bene tectum, quod ad incandescentiam calefiat, quamdiu pars e media massa exempta affuso acido effervescat.

Oxydum ignitum in pulverem redactum serva in vase bene clauso.

Sit pulvis albus, durante ignitione flavescens, in acidis sine effervescentia solubilis. Cum aqua quassatus liquorem praebeat, qui filtratus post evaporationem nullum residuum relinquit. Acido acetico perfecte solvatur, solutio superaddita ammonia limpida maneat neve caerulescat.

Zincum sulfuricum.

Sulfas Zinci. Vitriolum Zinci. Vitriolum album depuratum.

Rpe: **Zinci granulati** *grammata ducenta quinquaginta,* 250

solve in

Acidi sulfurici diluti *q. s.* (*circiter grammat.* 2250)

habita ratione, ut pars exigua zinci non soluti maneat.

Per solutionem obtentam trajice torrentem

Gasis Chlori,

donec sit saturata, dein vase tecto sepone in loco tepido per plures horas.

Liquori ad ebullitionem calefacto admisce pultem ex

Zinci carbonici, quale sub praeparatione Zinci oxydati obtinetur, *grammatibus decem* 10

et **Aquae destillatae** *q. s.*

paratam

Digere saepius agitando, donec solutio acido tannico tentata non amplius colorem in caeruleum mutet, dein filtra et additis

Acidi sulfurici diluti *grammatibus triginta* 30

ad crystallisationem evapora.

Sint crystalli prismaticae, coloris expertes, aëri sicco expositae fatiscentes, in aquae partibus 2·5 sub temperatura 20° solubiles.

Solutio aquosa nec acido sulfurico supersaturata per aquam hydro-sulfuratam turbetur, nec acido tannico admixto colorem atramentaceum induat, nec abundante ammonia praecipitatum deponat.

Collyrium adstringens luteum.

Zingiber.

Zingiber officinale Roscoe, planta in Asia tropica indigena, ibidem atque in aliis terris tropicis frequenter culta. Zingiberaceae.

Rhizoma (Radix Zingiberis, Zingiber album) tuberosum, detracta plerumque epidermide conscissum sistit segmenta compressa, palmatim ramosa, rugosa, ad duo centimetra lata, cicatrisata, griseo-fusca, ponderosa, tenacia, intus ochroleuca, circulo obscuriore subcorticali, receptaculis resiniferis parvis, frequentibus ornata, fractura fibrosa, odoris aromatici, saporis aromatico-fervidi.

Aqua aromatica spirituosa. Electuarium aromaticum.

Apparatus reagentium.

A. Reagentia.

Sint purissima et in vitris epistomeo vitreo sollicite obturatis serventur.

Acidum aceticum concentratum.

Acidum hydro-chloricum concentratum purum.

Acidum nitricum concentratum purum.

Acidum oxalicum solutum.

Paretur ex parte una acidi in partibus decem aquae destillatae.

Acidum oxalicum venale antea iteratis crystallisationibus purgetur.

Acidum sulfuricum concentratum purum.

Acidum sulfuricum dilutum.

Acidum tartaricum.

Aether depuratus.

Ammonia.

Ammonium carbonicum solutum.

Paretur ex parte una ammonii carbonici in partibus quinque aquae destillatae.

Ammonium hydro-sulfuratum.

Rpe: **Ammoniae** *q. v.*

Saturetur gase hydro-sulfurato loto, donec solutio magnesiae sulfuricae non amplius praecipitatur. Liquor recens paratus fere decolor, tractu temporis flavescit.

Aqua Calcis.

Aqua hydro-sulfurata.

In aquam destillatam coquendo ab aëre liberatam immitte gas hydro-sulfuratum, donec cum ferro sesquichlorato soluto mixta lactea evadat.

Argentum nitricum solutum.

Argenti nitrici fusi pars una solvatur in aquae destillatae partibus decem.

Baryum chloratum solutum.

Baryi chlorati crystallisati pars una solvatur in aquae destillatae partibus decem.

Baryum nitricum solutum.

Baryi nitrici crystallisati partem unam solve in partibus viginti aquae destillatae.

Charta exploratoria caerulea.

Rpe: **Laccae Musci pulveratae**

partem unam,

cum

Aquae destillatae fervidae

partibus viginti

conquassando misce. Solutionem post 24 horas obtentam et filtratam divide in duas partes aequales, quarum uni adde

Acidi sulfurici diluti *q. s.,*

ut color solutionis caeruleus in rubrum vertatur, dein admisce alterius partis quantitatem sufficientem, ut color ruber iterum in caeruleum transeat.

Hoc liquore tingantur segmenta chartae bibulae albae, quae in loco obscuro siccentur et serventur.

Charta exploratoria rubra.

Solutioni aquosae **Laccae Musci** instilla **Acidi phosphorici** quantitatem sufficientem ut color solutionis caeruleus in rubrum vergat.

Hoc liquore tingantur frusta chartae bibulae albae, quae in loco obscuro siccentur et serventur.

Chlorum solutum.

Chloroformium.

Cupri lamina.

Ferri lamina.

Ferrum sesquichloratum solutum.

Ferri sesquichlorati crystallisati partem unam solve in partibus decem aquae destillatae.

Ferrum sulfuratum.

Ferrum sulfuricum crystallisatum.

Kalium bichromicum.

Kalium chloricum.

Kalium jodatum.

Magnesium sulfuricum solutum.

Magnesii sulfurici pars una solvatur in partibus decem aquae destillatae.

Natrium carbonicum solutum.

Natrii carbonici pars una solvatur in partibus decem aquae destillatae.

Natrium hydro-oxydatum solutum.

Rpe: **Natrii carbonici crystallisati** *q. v.*,
solve in

Aquae destillatae *partibus octo.*

Coque in lebete ferreo et sensim adde

Calcii oxydati aqua destillata extincti *q. s.*,
donec pars liquoris exemta et filtrata aquam calcis non amplius turbet.

Liquorem adhuc calidum repone in lagena antea calefacta ad sedimentationem, dein liquorem limpidum

abstrahe et in patina argentea vel ferrea bene mundata evapora ad pondus spec. 1·33 et serva.

Natrium phosphoricum solutum.

Natrii phosphorici pars una solvatur in partibus decem aquae destillatae.

Plumbum aceticum solutum.

Plumbi acetici pars una solvatur in partibus decem aquae destillatae.

Solutio acidimetrica.

Rpe: **Natrii hydro-oxydati soluti p. sp. 1·33** *grammata quinquaginta,* 50

misce cum

Aquae destillatae *grammatibus ducentis quinquaginta.* 250

Solutionem, si opus sit, filtra.

Hujus solutionis *grammata quinque* 5

dilue cum

Aquae destillatae *grammatibus quinque* 5

et misce cum

Solutionis Laccae Musci *guttis nonnullis.*

Dein caute instilla

Solutionis alcalimetricae *q. s.,*

ut perfecte neutra evadat, hinc color caeruleus in purpureum transeat. Quodvis gramma solutionis alcalimetricae perfecte neutra reddere valet milligrammata 23 natrii (sive 31 natrii oxydati, sive 40 natrii hydro-oxydati), hinc quantitas consumta solutionis alcalimetricae docet quantitatem natrii in grammatibus quinque

solutionis tentatae contenti; qua determinata adde solutioni alcalinae

Aquae destillatae *q. s.*,

ut singula ejus grammata contineant 23 milligrammata natrii (sive 31 natrii oxydati, sive 40 natrii hydro-oxydati*.)

Solutionis sic paratae singula grammata continent pondus aequivalens natrii (23) [sive natrii oxydati (31), sive natrii hydro-oxydati (40)], quod ad perfectam saturationem ponderis aequivalentis cujusvis acidi requiritur.

Solutio alcalimetrica.

Rpe: **Acidi oxalici crystallisati**

grammata triginta unum et dimidium, 31·5

solve in

Aquae destillatae *grammatibus quadringentis sexaginta octo et dimidio.* 468·5

Solutionem filtratam in vase vitreo epistomeo vitreo optime clauso serva.

Hujus solutionis gramma unum continet 63 milligrammata acidi oxalici crystallisati. Numerus 63 designat pondus aequivalens dicti acidi, hinc gramma unum solutionis alcalimetricae modo praescripto paratae pon-

---

*) Nota. Quodsi e. g. 7·400 grammata solutionis alcalimetricae ad perfectam neutralisationem consumta fuerint, in grammatibus quinque solutionis tentatae praesto sunt milligrammata 170 natrii, (sive 229 natrii oxydati, sive 296 natrii hydro-oxydati), hinc quinis grammatibus solutionis alcalinae addenda sunt grammata 2·4 aquae destillatae, ut singula ejus grammata contineant 23 milligrammata natrii.

dus aequivalens cujusvis corporis basici perfecte neutrum reddit et sic hujus quantitatem per milligrammata expressam numerare permittit.

Solutio Indigo.

Rpe: **Indigo siccati et subtiliter pulverati**
partem unam,
Acidi sulfurici concentrati puri
partes quatuor.

Misce et saepius agitando stent per quinque usque sex dies in loco tepido vase tecto. Dein liquorem limpidum a sedimento decanta et novem partibus aquae destillatae dilutum serva vase clauso.

Solutio Laccae Musci.

Rpe: **Laccae Musci** *partem unam,*
infunde cum
Aquae destillatae fervidae
partibus viginti
